Quaestiones scaenicae

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab

amplissimo philosophorum ordine

in

Academia Fridericiana Halensi
cum Vitebergensi consociata

rite capessendos

scripsit

Guilelmus Westphal
Pommeranus.

Halis Saxonum
Formis descripsit Hohmann
MCMXX

De dissertatione probanda ad ordinem
rettulit
Carolus Robert.

Examen rigorosum habitum est a. d. XVII. calend. Oct. h. s. XIX.

Carolo Robert

sacrum

Quaestiones scaenicae.

Poetas tragicos et comicos Graecos saepe per actorum chorique verba rerum, quae geri finguntur neque tamen re vera geruntur, opiniones in spectatorum mentibus excitare cum dudum perspectum sit, tamen neque qua ratione id faciant neque quam late hic usus pateat satis explanatum est. Nos talia illusiones vocare solemus; veteribus proprium harum rerum nomen defuisse videtur. Nam *φαντασίαι* de quibus cogitari potest, quas Quintilianus VI 2,29 visiones appellat, multo latiorem vim habent. Quarum exempla in libello de sublimitate scripta (cap. 15) non ea tantum adferuntur quae non tam spectatores quam ipsius dramatis personae insania aut furore captae mente turbata adspicere sibi videntur, velut Orestes Euripideus Furias (Orest. 255 s. Iph. Taur. 291 s.) cui addi poterat Orestes Aeschyleus (Choeph. 1048), sed ea quoque quae in tragoediis a nuntiis narrantur, non solum miracula sed etiam insolitae singularesque actiones velut septem ducum Argivorum apud Aeschylum ius iurandum. Itaque huius modi *φαντασίαι* neque a poeta epico neque a rhetore alienae sunt. Nam ingeniosum illum auctorem si audimus, *φαντασία* est *πᾶν τὸ ὁπωσοῦν ἐννόημα* (*ἐννοήματι* Spengel) *γεννητικὸν λόγου παριστάμενον*, si vero Quintilianum, per *φαντασίας* vel visiones „imagines rerum absentium ita repraesentantur animo ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur;“ itaque eum in affectibus potentissimum vel ut Graeci dicere solent *εὐφαντασίωτον* esse qui has visiones bene conceperit. Ita

fit ut etiam in pictura visiones laudentur qua in re palma a Quintiliano Theoni Samio tribuitur (XII 10,6). Quae cum ita sint huius vocabuli vis a vocabuli *δόξα* vi vix differt cum quo coniunctum legitur apud Platonem Theaet. 161 E *τὰς ἀλλήλων φαντασίας τε καὶ δόξας*, Sophist. 263 D *διάνοιά τε καὶ δόξα καὶ φαντασία*. cf. 268 D. Neque magis ad eam quam quaerimus notionem pertinet Scholium in Aesch. Eum. 64 *καὶ δευτέρα δὲ γίνεται φαντασία· στραφέντα γὰρ μηχανήματα ἔνδηλα ποιεῖ τὰ κατὰ τὸ μαντεῖον ὡς ἔχει καὶ γίνεται ὄψις τραγική. τὸ μὲν ξίφος ἡμαγμένον ἔτι κατέχων Ὀρέστης, αἱ δὲ κύκλῳ φρουροῦσαι αὐτόν.*[1]) Nam ostenditur oraculi adytum, non spectatoribus mente fingendum relinquitur, ut ipse scholiastes indicat, cum de imagine scaenica (*ὄψις τραγική*) loquatur.

Neque tamen actio solum nonnunquam potius in verbis actorum quam in sensibus spectatorum posita est; etiam tempus et locus fabulae multo magis quam nostra aetate e poetae verbis discebatur neque oculis percipiebatur. Atque haec primum inspiciamus.

I.
De diei temporibus.

Hodie spectacula cum plurimum et in aedificiis tectis ac clausis et hora vespertina et in lucernarum lumine agantur, scaenae magistri munus est locum actionis, ut poetae placuit, modo illuminare modo obscurare. Graecorum Latinorumque ludi et sub divo et medio sole locum habebant. Quid mirum poetas tragicos nihil magis in deliciis habuisse quam personas suas caelum et solem appellantes facere? Aesch. Prometh. 88 ss.

ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί.

. . . .

---

[1]) Vix est quod moneam non de quinti saeculi sed de aetatis hellenisticae scaena scholiastam loqui, ut ex ipsius verbis ad v. 47 apparet *φαίνεται ἐπὶ σκηνῆς τὸ μαντεῖον.* Nam cum primum fabula doceretur, oraculum ab initio adspiciebatur neque in scaena sed in orchestra exstructum vel, ut accuratius dicam, ipsum oraculum scaena erat

. . . .

καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ,

Agam. 1577:

ὦ φέγγος εὖφρον ἡμέρας δικηφόρου,

Eur. Phoen. 1 ss.:

ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν
καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα

aliique. Inprimis morituri Soli ultimam salutem impertiunt, ut Aiax Sophocleus 856 ss.:

σὲ δ', ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας,
καὶ τὸν διφρευτὴν Ἥλιον προσεννέπω
πανύστατον δὴ κοὔποτ' αὖθις ὕστερον,

Polyxena Euripidea Hec. 435 ss.:

ὦ φῶς, προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄνομ' ἔξεστί μοι,
μέτεστι δ' οὐδὲν πλὴν ὅσον χρόνον ξίφους
βαίνω μεταξὺ καὶ πυρᾶς Ἀχιλλέως,

Alcestis exspirans semel etiam solem videre desiderat, v. 205 ss.

ὅμως δὲ καίπερ σμικρὸν ἐμπνέουσ' ἔτι
βλέψαι πρὸς αὐγὰς βούλεται τὰς ἡλίου,
ὡς οὔποτ' αὖθις ἀλλὰ νῦν πανύστατον.

Saepius pronomine demonstrativo addito actori praecipitur ut digitum ad Solem intendat, Soph. Ant. 878 ss.:

οὐκέτι μοι τόδε
λαμπάδος ἱερὸν ὄμμα
θέμις ὁρᾶν ταλαίνᾳ,

Pheres pro filio mori recusans dicit, Eur. Alc. 722:

φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ, φίλον,

Hippolytus Euripideus de Phaedra mortua 907 s.:

ἣν ἀρτίως ἔλειπον, ἣ φάος τόδε
οὔπω χρόνον παλαιὸν εἰσεδέρκετο,

Orestes dum Clytaemestrae mortiferum pallium expandi iubet, Solem testificatur Choeph. 983 ss.:

ἐκτείνατ' αὐτὸ καὶ κύκλῳ παρασταδὸν
στέγαστρον ἀνδρὸς δείξαθ', ὡς ἴδῃ πατήρ,

οὐχ οὑμός, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος, ἄναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς,

Hercules liberorum interfector ab Amphitryone faciem velatam Soli ostendere iubetur, Eur. Herc. 1208 ss:

ὦ τέκνον,
πάρες ἀπ' ὀμμάτων
πέπλον, ἀπόδικε, ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον.

Ipse paullo ante ut se tranquillum animum recuperavisse demonstraret, se et caelum terramque et Solis radios oculis percipere dixerat, Herc. 1089 s.:

ἔμπνους μὲν εἰμι καὶ δέδορχ' ἅπερ με δεῖ,
αἰθέρα τε καὶ γῆν τόξα θ' Ἡλίου τάδε.

Phaedrae deliranti, ut mentis compos fiat, nutrix solem ostendit, Eur. Hippol. 178:

τόδε σοι φέγγος, λαμπρὸς ὅδ' αἰθήρ.

Haec omnia ita accommodata sunt, ut hora spectaculi cum hora fabulae congruat, sed saepe poetae dramata sua non multo die, sed ubi primum illuxit incipere volunt. Ita solem orientem chorus salutat apud Sophoclem in Antigona 100 ss.:

ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανὲν
Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος,
ἐφάνθης ποτ', ὦ χρυσέας ἁμέρας βλέφαρον,
Διρκαίων ὑπὲρ ῥεέθρων μολοῦσα,

in Trachiniis 94 s.:

ὃν αἰόλα Νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κατευνάζει τε, φλογιζόμενον
Ἅλιον Ἅλιον αἰτῶ.

Apud Euripidem eundem salutat Ion 82 ss.:

ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων
Ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν.
ἄστρα δὲ φεύγει πυρὶ τῷδ' αἰθέρος
ἐς νύχθ' ἱεράν,
Παρνησιάδες δ' ἄβατοι κορυφαὶ
καταλαμπόμεναι τὴν ἡμερίαν
ἁψῖδα βροτοῖσι δέχονται.

Aiacem quoque Sophocleum prima luce incipere, quamquam de sole oriente nihil dicitur, verba Ulixis 21 s.:

νυκτὸς γὰρ ἡμᾶς τῆσδε πρᾶγος ἄσκοπον
ἔχει περάνας,

chori 141: *τῆς νῦν φθιμένης νυκτός* docent. Idem de Aeschyli et Persis et Choephoris valet, ubi somnia formidolosa reginarum fabulae primordia sunt; nam consentaneum est, quam primum fieri potest i. e hora matutina Darii viduam de viso nocturno senes Persas consulere, Clytaemestram libamina ad sepulcrum Agamemnonis mittere. Fuerunt qui sagaciter conicerent, maxime hoc in iis fabulis fieri, quae primum in trilogia locum habuissent, ut hic quoque fabulae hora cum hora spectaculi consentiret. Quod ut in tragoedias Sophocleas et Euripideas cadere potest, ita non cadit in Aeschyleas, quarum utraque secundum in trilogia locum tenebat, itaque circa meridiem acta est. Apparet igitur cum sol medium caelum attigisset, tamen Athenienses poetis credidisse eum iamiam oriri. — Sed indulgentia eorum multo latius progressa est, quae utinam nostratibus quoque propria esset. Sunt enim fabulae quae vel ante lucem incipiant. Inter quas primo loco nominanda est Electra Sophoclis, quod ei argumentum cum Choephoris commune est. Ibi enim medio in prologo sol oritur, ut verba paedagogi docent v. 17 ss.:

ὡς ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ
μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.

Electra autem paullo post v. 86 Solem appellat *ὦ φάος ἁγνόν*. Quae qui pensitaverit, etiam Antigonae et Ionis prologos diluculo agi posse concedet. In Electra autem Sophocles hac quoque in re Aeschylum secutus est, quod ab eo et Clytaemestrae somnium et inferias mutuatus est. Quae quamquam Euripides in Electra omisit, tamen horam matutinam non solum retinuit, sed tempore nocturno prologum recitari facit. Dicit enim Electra 54 ss.:

ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ,

ἐν ᾗ τόδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ
φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,

paullo post vero maritus rusticus 78 s.:

ἐγὼ δ' ἅμ' ἡμέρᾳ
βοῦς εἰς ἀρούρας εἰσβαλὼν σπερῶ γύας;

denique Orestes 102:

Ἕως γὰρ λευκὸν ὄμμ' ἀναίρεται.

Itaque in secunda demum prologi parte lucescere fingitur. Praeclarissimum vero huius rei exemplum Phaethontis Euripideae parodos est.[1]) Hac enim in fabula non prius illucescere debet, quam Phaethon curru paterno potitus in caelum escendit. Noctu igitur in prologo Merope et Phaethon inter se colloquuntur. Cum chorus intrat, Aurora rubescit atque verba eius in codice Claromontano mutilata a Wilamowitzio ex papyro Berolinensi 9771 egregie ita restituta sunt:

ἤδη μὲν ἀρτιφανὴς Ἕως ἱππεύει κατὰ γᾶν·
ὑπὲρ δ' ἐμᾶς κεφαλᾶς Πλειὰς ἐκλείπει σκοτία·
μέλπει δὲ δένδρεσι λεπτὰν ἀηδὼν ἁρμονίαν
ὀρθρευομένα γόοις Ἴτυν Ἴτυν πολύθρηνον.

Tum pastores venatores nautae ad opus diurnum properantes describuntur. Imitatus est, ut idem Wilamowitzius docuit, Seneca Herc. 125 ss, nisi quod nullis argumenti vinculis impeditus pro Aurora Titanem id est Solem ponit:

Jam rara micant sidera prono
languida mundo; nox victa vagos
contrahit ignes luce renata,
cogit nitidum Phosphorus agmen;
signum celsi glaciale poli
lucem verso temone vocat.
Iam caeruleis evectus equis
Titan summa prospicit Oeta;
iam Cadmeis incluta Bacchis
aspersa die dumeta rubent

[1]) Vide Wilamowitzium Herm. XVIII 1883 p. 396 ss.; Berlin. Klassikertext. V 2 p. 79 ss.

Phoebipue fugit reditura soror
labor exoritur durus et omnes
agitat curas aperitque domos.

Nonnunquam vero vel media nocte actio fabulae incipit. Id quod primum fieri videmus in Aeschyli Agamemnone. Ibi enim excubitor a Clytaemestra in regiae tecto constitutus siderum nocturnorum ortus et occasus longa observatione se cognitos habére profitetur, 4 ss.:

ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν,
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι
ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.

Lectum suum rore madidum a somniis vitari, ipsum, ne somno indulgeat, canere vel susurrare solere queritur, 12 ss.:

εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην
ἐμήν· φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ·
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος κτλ.

Sub caelo stellato etiam apud Euripidem in Andromedae prologo puella saxo alligata monodiam suam canit, fr. 114:

ὦ νὺξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου.

Non minus is, qui Euripidis Iphigeniam Aulidensem a poeta imperfectam relictam prologo anapaestis scripto instruxit, totum hunc prologum noctu agi voluit. Nam initio Agamemnon a sene familiari stellae alicuius splendentis nomen quaerit:

τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
ΠΡ. Σείριος ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ᾄσσων ἔτι μεσσήρης.

Tum dicit avium cantus et maris strepitum adhuc silere. v. 9 ss.:

οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων
οὔτε θαλάσσης· σιγαὶ δ' ἀνέμων
τόνδε κατ' Εὔριπον ἔχουσιν.

Senex autem addit etiam castra quiescere 14 s.:

ἔτι δ' ἡσυχία τῇδε κατ' Αὖλιν,
καὶ ἀκίνητοι φυλακαὶ τειχέων.

In fine demum prologi post Agamemnonis orationem Aurora et Sol conspiciuntur v. 156 ss.:

λευκαίνει
τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠὼς
πῦρ τε τεθρίππων τῶν Ἀελίου.

Una tantum fabula servata est, quae tota noctu agitur, Rhesum dico, Euripidi falso tributam, a quarti saeculi poeta scriptam quae Doloniae Homericae argumentum in scaenam produxit. Itaque in prologo Hector interrogat v. 11 ss.:

τίς ὅδ'; ἦ φίλιος φθόγγος; τίς ἀνήρ;
τί τὸ σῆμα; θρόει·
τίνες ἐκ νυκτῶν τὰς ἡμετέρας
κοίτας πλάθουσ'; ἐννέπειν χρή.

Media in fabula vigiliae nocturnae commutantur 56: ss:

αὐδῶ Λυκίους πέμπτην φυλακὴν
βάντας ἐγείρειν
ἡμᾶς κλῆρον κατὰ μοῖραν.

Ulixes · et Diomedes speculatores per tenebras se prodire diserte indicant v. 570 s.:

Οδ. ὅρα κατ' ὄρφνην μὴ φύλαξιν ἐντύχῃς.
Δι. φυλάξομαί τοι κἂν σκότῳ τιθεὶς πόδα.

In fine tandem illucescit 985:

φῶς γὰρ ἡμέρας τόδε.

Etiam Musa verba sua tempore nocturno protulit.

Haec igitur omnia in sole agebantur. Spectatores et tanta ingenuitate et tanta vi cogitationis erant, ut poetae verbis maiore fide habita quam sensibus diluculum aut noctem esse sibi persuaderent.

Diximus de iis fabulis, quarum actio tempore nocturno incipit; aliae sunt, quae tempore nocturno finiuntur. In Aeschyli Supplicibus Danaus filias adventum Aegypti filiorum timentes eo erigere studet, quod noctem appropinquare dicit, qua nemo prudens ad litus ignotum navem appellere audeat, 768 ss:

ἄλλως τε καὶ μολόντες ἀλίμενον χθόνα
ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου. φιλεῖ
ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ,
κἂν ᾖ γαλήνη.

Quae cum ita sint, ea quae secuntur, praeconis Aegyptii cum rege Argivorum altercationem, Danaidum in urbem ingressum crepusculo evenire necesse erat. At cum Supplices prima trilogiae fabula sint, re vera tempus antemeridianum erat. Etiam maioris in hac quaestione momenti Choephori sunt. Ibi Orestes, cum viatoris Phocei habitu Aegisthi ianitorem appellat, noctem imminere dicit 660 ss.:

τάχυνε δ', ὡς καὶ νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται
σκοτεινόν. ὥρα δ' ἐμπόρους καθιέναι
ἄγκυραν ἐν δόμοισι πανδόκοις ξένων.

Quibus cum verbis non solum Clytaemestrae responsum 709 s.:

ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους
μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόσφορα,

sed etiam servi domini nece exterriti gynaecei custodes excitantis clamores 882 s.:

κωφοῖς ἀϋτῶ καὶ καθεύδουσιν μάτην
ἄκραντα βάζω

conveniunt. Tum igitur nox eo progressa est, ut tota domus alto somno consopita sit. Id quoque convenit, quod tragoediam hora matutina incipere supra vidimus. Sed contradicit, quod, ut supra intelleximus, Orestes post Aegisthi caedem Solem testificatur eique pallium perniciosum ostendi iubet. An statuendum est tum noctem praeterisse, solem rursum ortum esse? Minime vero, nam hoc poetae diserte indicandum fuisset. Immo, ut Aeschylus hoc loco priora illa Orestis Clytaemestrae servi verba neglexit, ita spectatores eorum

oblitos esse voluit Hanc igitur veniam sibi petivit et ab Atheniensibus accepit, ut in singulis tragoediae partibus eam diei horam fingere sibi liceret, quae argumento uniuscuiusque partis conveniret.

Etiam in Euripidis fabulis duabus deperditis noctem appetiisse necesse est, in Cresphonte, ubi Merope inscia filium suum ignotum in hospitio dormientem securi percutere conatur [1], qua in tragoedia poetam Aeschyli Orestiam imitari dudum perspectum est, et in Inone, ubi Themisto ab Inone decepta filiolos suos, dum in cubiculo dormiunt, occidit. [2]

Quod ad comoediam attinet, personas multimodis Solem alloqui et ubi id faciunt tragoedos imitari consentaneum est. Attamen in undecim fabulis conservatis et in tot deperditarum fragmentis unum tantum huius rei exemplum inveni, Menandri fr. 609 (K).

Ἥλιε, σὲ γὰρ δεῖ προσκυνεῖν πρῶτον θεῶν
δι' ὃν θεωρεῖν ἔστι τοὺς ἄλλους θεούς·

Minus huc facit Daedali Aristophanei fragmentum (fr. 188 K.), in quo aut Iupiter, ut hodie multis placet, aut Daedalus machinarium alloquitur, ut Trygaeus in pace (v. 174 s.),

ὁ μηχανοποιός, ὁπότε βούλει τὸν τροχὸν
ἱμᾶν ἀνεκάς, λέγε· ʽχαῖρε φέγγος ἡλίου.ʼ

Iubetur igitur in machina sursum versanda Solem precibus propitium facere.

Lepidissime vero in Ecclesiazusarum prologo usus ille tragicus exagitatur. Nox est. Procedit Praxagora. Incipit: *ὦ λαμπρὸν ὄμμα.* Quae cum audiunt spectatores, nihil aliud credere possunt, quam mulierem media nocte solem appellare quo ridiculosius nihil cogitari potest. Et confirmari debebat haec opinio, cum Praxagora pergeret *τοῦ τροχηλάτου* (cf. Eur. Phoen. 39 *Λαΐου τροχηλάτης*); atque versus tragicus, quem Aristophanes reddit, sive, ut scholiastes suspicatur, Agathonis

---

[1]) Hyg. fab. 137. 187. Plutarch. de esu carn. p. 998 ε.
[2]) Hyg. fab. 4.

aut Dicaeogenis sive alius poetae tragici erat, vix aliter concludi poterat quam *τοῦ τροχηλάτου θεοῦ.*[1]) At Aristophanes concludit *τοῦ τροχηλάτου λύχνου* et addit

κάλλιστ' ἐν εὐστόχοισιν ἐξηρτημένον.[2])

Itaque genetivum non a *τροχηλάτης*, sed a *τροχήλατος* derivari vult; non de sole splendido, sed de misera lucerna quam manibus tenet, Praxagora verba facit, cuius tum more Euripideo et genus et virtutes exponit:

γονάς τε γὰρ σὰς καὶ τύχας δηλώσομεν·
τροχῷ γὰρ ἐλαθεὶς κεραμικῆς ῥύμης ἄπο
μυκτῆρσι λαμπρὰς ἡλίου τιμὰς ἔχεις.

Sequitur tum encomium lucernae, quod latius persequi a consilio nostro alienum est. Omnino autem poetis comicis in deliciis fuisse videtur initium fabularum a tempore nocturno sumere, id quod suspicari licet, cum ex Aristophanis comoediis undecim tres nocte incipiant. Atque hoc ideo sic instituisse videntur, quod tenebrae multis iocis locum dare poterant. Itaque, ut primum Ecclesiazusas absolvamus, quamquam Praxagora paullo post asseverat matutinum tempus imminere (v. 20 *πρὸς ὄρθρον γ' ἐστίν*), tamen chorus, qui mox procedit, et ipse lucernas gerit 27 s.:

ἀλλ' ὁρῶ τονδὶ λύχνον | προσιόντα.

Etiam, dum mulieres inter se conloquuntur, stellae fulgent 99 s.:

ἀλλ' ἄγεθ' ὅπως καὶ τἀπὶ τούτοις δράσομεν,
ἕως ἔτ' ἐστὶν ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανόν.

Vel cum Praxagorae maritus Blepyrus tandem experrectus prodit, nondum luxit, 312 ss.:

ἐπεὶ πρὸς ἕω νῦν γ' ἔστιν . . . .[3])

---

[1]) Minus placet quod Metzner proposuit *τοῦ τροχηλάτου κύκλου*, quamquam a Bakhuysenio et Nauckio probatum est (fr. adesp. 50).

[2]) Velseno Aristophanes scripsisse videtur *κάλλιστον εὐστόχοισιν ἐζητημένον*; nam *ἐζητημένον* Cod. corr. Dobree. Scholia vero *εὐστόχοισιν* (vel ut cod. min. habent *εὐσκόποισιν*) pro dativo cum participio cohaerente habent: *κάλλιστα τοῖς σοφοῖς εὑρημένον, τοῖς εὖ σκεπτομένοις, οἱ δὲ τοῖς φύλαξιν, ὅτι μετὰ λύχνων σκοποῦσιν.*

[3]) Verba interposita *ἣ δ' οὐ φαίνεται* non ad Auroram, sed ad Praxagoram referenda esse vix est quod moneam.

ἐγὼ δὲ κατάκειμαι πάλαι χεζητιῶν,
τὰς ἐμβάδας ζητῶν λαβεῖν ἐν τῷ σκότῳ
καὶ θοἰμάτιον (cf. 321 *νυκτός*).

Contra in fine fabulae iam vesper est; nam non solum Chremes ad cenam abit v. 875 s.:

βαδιστέον
ὁμόσ' ἐστὶ δειπνήσοντα κοὐ μελλητέον,

sed etiam iuvenem, de quo mulieres rixantur, cum face progredi interrogatio anus prurientis docet 978:

τοῦ δαὶ δεόμενος δᾷδ' ἔχων ἐλήλυθας;

Eodem modo in Vespis Aristophanes rem instituit. In prologo Sosias et Xanthias servi, quibus Philocleonis custodia nocturna commissa est, somnum fugare vix possunt v. 2:

φυλακὴν καταλύειν νυκτερινὴν διδάσκομαι.

v. 5:

. . *ἀλλ' ἐπιθυμῶ σμικρὸν ἀπομερμηρίσαι.*

v. 6 sq.:

. . . *ἐπεὶ καὐτοῦ γ' ἐμοῦ*
κατὰ ταῖν κόραιν ἤδη τι καταχεῖται γλυκύ.

v. 9:

. . *ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.*

v. 11 ss.:

κἀμοὶ γὰρ ἀρτίως ἐπεστρατεύσατο
Μῆδός τις ἐπὶ τὰ βλέφαρα νυστακτὴς ὕπνος·
καὶ δῆτ' ὄναρ θαυμαστὸν εἶδον ἀρτίως.

Neque cum chorus prodit, illuxit v. 245:

σπεύδωμεν, ὦνδρες ἥλικες, πρὶν ἡμέραν γενέσθαι.

Senibus pueri lucernis accensis viam ministrant. In tenebris, ne in lapidibus offendant aut in luto haerescant, cavent v.246 s.:

χωρῶμεν, ἅμα τε τῷ λύχνῳ πάντῃ διασκοπῶμεν,
μή που λίθος τις ἐμποδὼν ἡμᾶς κακόν τι δράσῃ.
ΠΑΙΔ. τὸν πηλόν, ὦ πάτερ πάτερ, τουτονὶ φύλαξαι.

Pueri, quod ad ellychnium protrahendum pro culmo digitis usi sunt, a patribus colaphis castigati se lucernis extinctis

domum abituros, illos in tenebris relicturos esse minitantur v. 254 ss.:

εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς,
ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί·
κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουὶ στερηθεὶς
τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.

Contra sub finem fabulae Philocleon a filio ad convivium vespertinum ducitur, rediens cum face progreditur, qua prosequentes repellit v. 1326 ss.:

ἄνεχε, πάρεχε·
κλαύσεταί τις τῶν ὄπισθεν
ἐπακολουθούντων ἐμοί·
οἷον, εἰ μὴ 'ρρήσεθ', ὑμᾶς
ὦ πονηροί, ταυτηὶ τῇ
δᾳδὶ φρυκτοὺς σκευάσω.

Eodem face copam verberat v. 1389 s.:

ὁδὶ γὰρ ἀνήρ ἐστιν ὅς μ' ἀπώλεσεν
τῇ δᾳδὶ παίων.

Denique domum reversus, ut Xanthias refert, totam noctem saltat v. 1476 ss.:

ὁ γὰρ γέρων ὡς ἔπιε διὰ πολλοῦ χρόνου
ἤκουσέ τ' αὐλοῦ, περιχαρὴς τῷ πράγματι
ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται
τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο·

In Nubium denique prologo Strepsiades et filius, ut in Vespis servi, ante domum in solo recubant. Phidippides stertit et somniat. Pater somnum invenire non potest; lamentatur noctis longitudinem, quae finem habere non videtur[1]), quamquam gallus iam dudum cecinit v. 1 ss.:

Ἰοὺ ἰού·
ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον·
ἀπέραντον. οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;
καὶ μὴν πάλαι γ' ἀλεκτρυόνος ἤκουσ' ἐγώ.

---

1) Cf. Andromedae canticum supra p. 11.

Unum e servis, qui et ipsi stertunt, lucernam et tabulas afferre iubet v. 18 ss.:

ἅπτε, παῖ, λύχνον,
κἄκφερε τὸ γραμματεῖον, ἵν᾽ ἀναγνῶ λαβὼν
ὁπόσοις ὀφείλω καὶ λογίσωμαι τοὺς τόκους.

Sed mox oleum lucernam deficit, pro qua re servus vapulat v. 56 ss.:

ΘΕΡ. ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ᾽ ἐν τῷ λύχνῳ.
ΣΤΡ. οἴμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἧπτες λύχνον;
δεῦρ᾽ ἔλθ᾽, ἵνα κλάῃς κτλ.

Dixeris lucernis et facibus spectatoribus noctis imaginem suggeri, cum multo maiore apparatu scaenico comoedia utatur quam tragoedia. Neque tamen haec tantum valent, ut solis lucem theatrum collustrantem vincere possint. Itaque tota res in spectatorum cogitatione posita erat.

II.
De fabularum spatio temporali.

Vidimus Aristophanis Vespas et Ecclesiazusas totum diem comprehendere, ita quidem ut nocte praecedente incipiant, insequenti finem habeant. Similiter in Choephoris rem sese habere, quamquam ibi Aeschylus maiore licentia usus est, supra vidimus. Atque cum Graecis siparii usus ignotus fuerit, dixeris nullam fabulam diei spatium excedere posse. Quod ut de plerisque valet, tamen non desunt exceptiones. In Nubibus, ut nunc quidem eas legimus retractatas, ut denuo agerentur, neque tamen iterum actas, sed ad mercatum recensitas [1]. Strepsiades postquam filium Socrati erudiendum tradidit, brevissimo intervallo, quod chori parabasi septendecim versuum expletur, redit, ut eum reducat. Sane licuit poetae co-

[1] Vide Bücheler, Fleckeisens Jahrb. LXXXIII 1861, 683 sq. = Kl. Schrift. I 317 sq., Schwandtke de Arist. Nubib. priorib., Diss. phil. Hal. 14, 2 (1898).

mico fingere hoc eodem die fieri, cum etiam Strepsiadis ipsius institutio brevissimo tempore absolvatur; sed Aristophanem aliud in mente habuisse haec Strepsiadis redeuntis verba docent v. 1131 ss.:

πέμπτη, τετράς, τρίτη, μετὰ ταύτην δευτέρα,
εἶθ' ἣν ἐγὼ μάλιστα πασῶν ἡμερῶν
δέδοικα καὶ πέφρικα καὶ βδελύττομαι,
εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἕνη τε καὶ νέα.

Computat igitur quantum temporis usque ad solvendi diem adhuc supersit. Id quod eum eodem die facere, quo Phidippidem ad Socratem duxit, vix cogitari potest; nam tum haec ratio ei iam antea instituenda erat. Immo nunc demum, tempore urgente, filium a Socrate repetere vult. Itaque interea unus ad minimum dies praeteriit, probabiliter plures; chori verba spectatores de temporis progressu fallunt; fabulae argumentum plures dies comprehendit.

Idem valet de Aeschyli Agamemnone, quam fabulam tempore nocturno incipi supra vidimus. Ea nocte Troia capta est, id quod Clytaemestra ignibus edocta mane choro nuntiat v. 264 ss.:

εὐάγγελος μέν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα.
πεύσῃ δὲ χάρμα μεῖζον ἐλπίδος κλύειν·
Πριάμου γὰρ ᾑρήκασιν Ἀργεῖοι πόλιν,

v. 278 ss.:

ΧΟ. ποίου χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις;
ΚΛ. τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω.
ΧΟ. καὶ τίς τόδ' ἐξίκοιτ' ἂν ἀγγέλων τάχος;
ΚΛ. Ἥφαιστος Ἴδης λαμπρὸν ἐκπέμπων σέλας·
φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς
ἔπεμπεν· κτλ.

Mox, post primum stasimum, praeco adest, qui chorum paullo adhuc dubitantem de Troiae excisione certiorem facit. Itaque miraculi instar ad mare Aegaeum transeundum ne una quidem hora ei opus erat. Neque hoc satis est; etiam Agamemnonem mox adventurum esse nuntiat et Achaeorum classem nocte praecedente horribili tempestate dispersam esse v. 653:

ἐν νυκτὶ δυσκύμαντα δ' ὀρώρει κακά,

v. 658 ss.:

ἐπεὶ δ' ἀνῆλθε λαμπρὸν ἡλίου φάος,
ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς
ἀνδρῶν Ἀχαιῶν ναυτικοῖς τ' ἐρειπίοις.

Haec autem nox nullo modo eadem esse potest, qua Troia diruta est. Itaque dum Clytaemestra cum choro colloquitur dumque is longum illud stasimum ὦ Ζεῦ βασιλεῦ κτλ. cantat, dies, qui una cum chori parodo incipit, praeterlapsa sit, nox appetierit et praeterierit, iterum illuxerit necesse est. Num igitur statuendum est hic quoque spectatorun chori cantu de temporis progressu falli? At ipse chorus dicit iamiam Troiae dirutae famam urbem percurrere: v. 475 ss.:

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου
πόλιν διήκει θοὰ
βάξις.

Et praecone conspecto nunc se veritatem comperturum esse sperat v. 489 ss.:

τάχ' εἰσόμεσθα λαμπάδων φαεσφόρων
φρυκτωρίας τε καὶ πυρὸς παραλλαγάς,
εἴτ' οὖν ἀληθεῖς εἴτ' ὀνειράτων δίκην
τερπνὸν τόδ' ἐλθὸν φῶς ἐφήλωσεν φρένας.

De fama pridie pervolgata ita loqui non potest. Quo modo igitur hac de re iudicandum est? Antinomia est eiusmodi, quatem etiam in artis antiquioris operibus non raro offendimus. Idem dies est neque tamen idem. Spectatores, si actionem respiciebant, eundem diem, si praeconis verba, alium esse opinari debebant. Argumentum fabulae modo plures dies modo unum solum comprehendit. O beatam licentiam, quam tum Atheniensium ingenuitas tragicis concedebat; spectatores semper animo parati erant poetae consilia cogitatione sua ita adiuvare, ut in eiusmodi discrepantiis minime offenderent.

Etiam longius progressus est Euripides in Stheneboea.[1]) Cuius fabulae prima pars Stheneboeae insidias et Bellerophontis

[1]) Rabe, Rhein. Mus. LXIII 1908 p. 145 ss. Arnim, Suppl. Eur. 43ss., v. Wilamowitz, Philology. III 1908 p. 225 ss.

in Lyciam peregrinationem continebat; unde post Chimaeram occisam reversus Stheneboeam ulciscitur, quam amore simulato secum abducit et a Pegasi tergo in mare proicit. Quae quamquam equo alato usus intra unius diei spatium nullo modo perficere potuit, ita ut fabulae argumentum re vera duos vel plures dies complecti deberet.

Similiter in Euripidis Supplicibus Theseus, dum chorus triginta versus canit, perficit, ad quae duo minimum dies opus erant; exercitum Eleusine Thebas ducit, acerrima pugna Creonta vincit, in Cithaerone monte Argivorum milites sepulturae dat, ipsorum ducum corpora Eleusina reportat (v. 629—778).

Pro quibus leviora sunt, quod saepius, dum in orchestra pauci versus aut canuntur aut recitantur, proelium committitur (Aesch. Sept. 720—791; Eur. Hercul. 748—784; Phoen. 1284—1333; Soph. Oed. Col. 1044—1095), contio habetur (Aesch. Suppl. 524—598; Eur. Orest. 807—851), in Sophoclis Trachiniis intra centum versuum spatium Lichas Thebis in Euboeam proficiscitur, Hercules in sacrificio mortiferam vestem induit, Hyllus funestum nuntium domum reportat, in Euripidis Andromacha Orestes mira celeritate Pharsalo Delphos iter facit ibique Neoptolemo insidias struit nec minus celeriter Orestis comes post domini mortem Pharsalum revertitur, dum in orchestra sexaginta versus recitantur.

Comoediam etiam solutius hac licentia uti quis est qui miretur? Somnio velocius in Acharnensibus Amphitheus Spartam proficiscitur et redit (v. 133—174), in Lysistrata nuntius eodem missus legatos Lacedaemoniorum adducit (v. 1009—1073). In alia eiusdem comoediae parte consulto contra temporis rationem peccatur. In prologo mulieres Lysistratae iussu iuraverunt se a viris sese abstinere velle. Sed postquam arce potitae sunt, multae earum libidinem continere nequeunt, sed ad viros redire conantur. Itaque lamentatur Lysistrata v. 715.:

βινητιῶμεν, ἧ βράχιστον τοῦ λόγου.

Quod ut probabilius redderet, poeta finxit eas non hoc ipso

die sed aliquot diebus antea arcem occupasse. Narrat enim Lysistrata v. 723 ss.:

τὴν δ' ἐπὶ στρούθου μίαν[1])
ἤδη πέτεσθαι διανοουμένην κάτω
ἐς Ὀρσιλόχου χθὲς τῶν τριχῶν κατέσπασα.

Cinesiae vero si fidem habemus, iam plus sex diebus mulieres a familiis suis absunt. Dicit enim Myrrhinae infantem porrigens v. 880 s.:

οὐδ' ἐλεεῖς τὸ παιδίον
ἄλουτον ὂν κἄθηλον ἕκτην ἡμέραν;

Itaque haec fabula sex ad minimum dierum spatium comprehendit; ad diem primum prior comoediae pars (v. 1—613), ad ultimum posterior (v. 706—1322) pertinet. Atque cum inter utramque partem parabasis interposita sit, quam caesuram quandam facere nemo est qui nesciat, dicat quispiam poetae consilio, dum parabasis cantatur, quinque illos dies praeterire cogitandum esse. Quod ut fieri posse concedo, ita magna comoediae in hac re licentia considerata verisimile esse nego.

Simili neque tamen eodem modo Aeschylus in Eumenidibus rem instituit, ubi prima, quae Delphis locum habet, parte peracta chorus orchestram relinquit, mox, ubi Athenas actio translata est, rediturus, id quod *μετάστασιν* et *ἐπιπάροδον* Graeci appellabant (Poll. IV 108). At hic res plane aliter sese habet; nam actio interrumpitur, sicut apud nos aulaeo demisso; orchestra per aliquod tempus vacua relinquitur. Quae cum ita sint, licet spectatori cogitatione fingere quodlibet temporis spatium praeterire. Atque revera permagnum spatium inter utramque tragoediae illius partem intercedere Aeschylus voluit. Nam Orestem supplicem dicentem facit v. 235 ss.:

ἄνασσ' Ἀθάνα, Λοξίου κελεύμασιν
ἥκω, δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένος τ' ἐγὼ[2])

---

[1]) *μιᾶς* coniecit Blass, ut a Roberto comperi.
[2]) Vid. v. Wilamovitz. Aesch. p. 219.

ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν,
ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν.

Et paullo post v. 284 s.:

πολὺς δέ μοι γένοιτ' ἂν ἐξ ἀρχῆς λόγος
ὅσοις προσῆλθον ἀβλαβεῖ ξυνουσίᾳ.

Quibuscum conveniunt Eumenidum verba v. 248 ss.:

πολλοῖς δὲ μόχθοις ἀρθροκμῆσι φυσιᾷ
σπλάγχνον· χθονὸς γὰρ πᾶς πεποίμανται τόπος,
ὑπέρ τε πόντον ἀπτέροις ποτήμασιν
ἦλθον διώκουσ', οὐδὲν ὑστέρα νεώς.

Unde concludendum est non tantum multos dies sed multos menses, fortasse annos Orestem a Furiis agitatum esse.

III.
De loci commutatione.

Eumenidum priorem partem Delphis, posteriorem Athenis locum habere modo commemoravimus. Atque scaenam primum Apollinis templum Delphicum repraesentare ex ipsis poetae verbis elucet. In posteriore parte, ubi Orestes Minervae simulacrum sub divo positum supplex amplectitur, scaena omnino opus non est. Sane Apollinis templum, donec ludus agebatur, removeri non poterat, sed a spectatoribus neglegi poterat, ut Choephororum initio regia Aegisthi. At dicit Orestes v. 241 ss.:

σῴζων δ' ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους,
πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά,
αὐτοῦ φυλάσσων ἀμμένω τέλος δίκης.

Itaque Minervae templum conspici verisimile est, atque recte eos iudicasse arbitror, qui eandem scaenam primo Apollinis Pythicum tum vero Minervae templum Atheniense repraesentare statuerunt. Neque duplicem hanc eiusdem aedificii significationem diversitate ornamentorum indicari necesse erat, cum poetae verba sufficerent.

Praeter Eumenidas Sophoclis Aiax unicum inter tragoedias conservatas loci commutationis exemplum est, cum prior

pars ante Aiacis tabernaculum, posterior in solitudine agatur. Atque hic quidem scaena, quamquam usque ad finem sub oculos cadit, a spectatoribus ita neglegitur tamquam sublata sit.[1]) In comoedia multo saepius cum locus mutatur, id eo efficitur, quod singularum personarum domicilia sibi vicina esse finguntur, velut in Acharnensibus Dicaeopolis Euripidis Lamachi, in Nubibus Strepsiadis et Socratis aedes. Comitium autem, quod saepius in orchestra ponitur, et ipsum his aedibus in propinquo fuisse sumitur. Velut Dicaeopolis post contionem ante spectatorum oculos domum suam intrat, Acharn. 200 s.; Demus ex aedibus suis recta via ἐς τὴν πύκνα se confert (Equit. 751 ss.), unde ab Agoracrito postea in domum suam reducitur (v. 1258 ss.). In fine vero fabulae privatam hanc domum arcis Propylaea vel arcem ipsam esse fingitur v. 1324:

ἐν ταῖσιν ἰοστεφάνοις οἰκεῖ ταῖς ἀρχαίαισιν Ἀθήναις.

v. 1326 ss.:

ὄψεσθε δέ· καὶ γὰρ ἀνοιγνυμένων ψόφος ἤδη τῶν προπυλαίων.
ἀλλ' ὀλολύξατε φαινομέναισιν ταῖς ἀρχαίαισιν Ἀθήναις
καὶ θαυμασταῖς καὶ πολυύμνοις, ἵν' ὁ κλεινὸς Δῆμος ἐνοικεῖ.

Similiter in Thesmophoriazusis v. 277 Euripidis affinis, qui modo ante Agathonis aedes stabat, repente in comitio est; nam ibi, ἐν τῇ πυκνί, secundam huius fabulae partem agi Wilamowitzius evicit.[2])

In Pace vero orchestra duplicem significatum habet; nam in prologo area ante Trygaei domum est, inde a parodo (v. 301 ss.) area ante regiam Iovis, inde a parabasi rursus area ante domum Trygaei; neque tamen salva hac commutatione chorus eam per totum hoc tempus relinquit, cum Trygaeum per Charonis, quae dicuntur, scalas ad domum suam revertisse

---

[1]) Vide Robertum Herm. XXXI p. 530.

[2]) Aus Kydathen p. 161; cf. v. 657 s.: *καὶ περιθρέξαι τὴν πύκνα πᾶσαν.*

probabile sit.[1]) Gravior etiam loci commutatio in Acharnensibus observatur. Ibi Dicaeopolim ex comitio domum suam redire iam supra vidimus, sed addit pace cum Lacedaemoniis facta nunc se Dionysia ruralia agere velle. Certe comoedia non indignum fuisset ruralia ab eo in urbe agi, sed alia Aristophanem voluisse Dicaeopolidis canticum docet v. 263 ss.:

Φαλῆς, ἑταῖρε Βακχίου,
ξύγκωμε, νυκτοπεριπλάνη-
τε, μοιχέ, παιδεραστά,
ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον ἐς
τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος
σπονδὰς ποιησάμενος ἐμαυ-
τῷ, πραγμάτων τε καὶ μαχῶν
καὶ Λαμάχων ἀπαλλαγείς.

Itaque revera inde a v. 204 ruri sumus, ruri chorus prodit ruri Dionysia aguntur et a carbonariis iracundis turbantur cf. Mauricii Hauptii praeclaram disputationem Opusc. II p. 458 ss. Contra ducentis fere versibus post et Dicaeopolis et chorus repente rursus in urbem translati sunt, nam Athenis Euripidem Dicaeopolis adit, Athenis mercatum habet (v. 729):

ἀγορὰ 'ν Ἀθάναις χαῖρε, Μεγαρεῦσιν φίλα,

Athenis Choas bibendo vincit. Videmus poetas comicos non minus locum ad arbitrium constituere quam tempus.

IV.

De scaenae imagine poetae verbis amplificata.

Ex quo Aeschylo sene, Sophocle iuvene Agatharchus primum scaenam pinxit, plerasque fabulas ante regiae aut templi frontem actas esse inter peritos constat. Contra topia quinto saeculo prorsus ignota fuisse nemo, qui archaeologiae

---

[1]) V. 725 s. ΤΡΥ. *πῶς δῆτ' ἐγὼ καταβήσομαι;* ΕΡΜ. *θάρρει, καλῶς· τηδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν.* cf. Robert, Hermes XXXI, 1896 p. 553. Aliter iudicaverunt Fensterbusch, „Über die Bühne des Aristophanes", alii.

elementis imbutus est, nescit.[1]) Huic penuriae tragicorum verba succurrebant, quae in spectatorum mentibus imagines locorum vicinorum excitabant. Ita in Sophoclis Electra paedagogus Oresti, dum Mycenis ante Pelopidarum regiam stant, non solum totam planitiem Argivam, quam *τῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης* nominat, sed etiam Argorum urbis forum et a sinistra Iunonis celeberrimum templum, quod in Euboeae montis radice situm erat, ostendit v. 6 ss.:

αὕτη δ', Ὀρέστα, τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ
ἀγορὰ Λύκειος· οὑξ ἀριστερᾶς δ' ὅδε
Ἥρας ὁ κλεινὸς ναός.

Olim cum essent qui has res revera in scaena conspectas esse putarent, eorum opinio ab Iohanne Niejahr[2]) egregie explosa est, qui inter alia haec quoque profert, cur tam copiose locus describatur non satis intellegi, nisi statuamus scaena ipsa non satis indicatum esse, quae in quaque fabula loca adesse poeta voluerit. Quae verba aurea etiam ad ea, quae mox prolaturi sumus, recte iudicanda magni momenti sunt. Haec autem cum dicit paedagogus, ante scaenam ad spectatores conversus stat, ita ut omnia, quae nominat, loca trans orchestram et caveam sita esse cogitandum sit. Contra in Euripidis Ione Mercurius prologo recitato cum dicit v. 76.:

ἀλλ' εἰς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε,

deum per alteram parodum exiturum esse, nemus laureum extra orchestram iuxta templum Apollinis situm esse sumi apparet.

Similiter in Ennii Medea altera v. 242 Ribb. Theseo Athenae cum Cereris templo ostenduntur: ‚asta atque Athenas anticum opulentum oppidum contempla et templum Cereris ad laevam aspice,' quibus versibus Kaibel (Soph. El. p. 68 ss.) Ennium Sophoclem imitatum esse putat, cum probabilius alii ad Medeae exemplum Graecum Aegea Euripidis rettulerint. Contra aperta Sophoclis imitatio est in Pythonis Agene satyris (Ath. XIII p. 595F).

οὑξ ἀριστερᾶς δ' ὅδε πόρνης ὁ κλεινὸς ναός.

---

1) Vide Rodenwaldt, Komposit. d. pompeian. Wandgemälde, 24 ss.
2) Quaest. Aristophan. scaenicae, Diss. Gryph. 1877 p. 11 s.

Ante scaenam inventam tumulum aut saxum in orchestra constitutum ad locum indicandum adhibitum esse constat[1]), quod institutum saeculo quinto exeunte Sophocles et Euripides nonnumquam redintegraverunt, ut in Andromeda ille hic, in Philocteta et Oedipo Coloneo. In Oedipo igitur Coloneo tumulus, qui colonum hippium repraesentabat,[2]) orchestrae aut medium locum aut partem ulteriorem occupabat. Regionem autem Antigona ita describit v. 14 s:

πάτερ ταλαίπωρ' Οἰδίπους, πύργοι μέν, οἳ
πόλιν στέγουσιν, ὡς ἀπ' ὀμμάτων, πρόσω.

Hic igitur spectatores a poeta credere iubentur Antigonam trans orchestram et caveam Athenarum urbis muros turritos conspicere. Quod vero addit

χῶρος δ' ὅδ' ἱερός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες,

fieri quidem poterat, ut tumulus ille arborum stipitibus infixis ornatus esset, sed multo probabilius est laurus illos, olivas, vites non magis conspectas esse, quam luscinias, sed cogitatione tantum fictas.

Avium fictarum cum mentionem fecerimus, locus hic est etiam Ionis aves importunas a templo Pythico abigentis commemorandi v. 153 ss.:

ἔα ἔα·
φοιτῶσ' ἤδη λείπουσίν τε
πτανοὶ Παρνασοῦ κοίτας·
αὐδῶ μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς
μηδ' εἰς χρυσήρεις οἴκους.

Aquila advolat; arcu, quem pro hydria arripuit, eum minitatur v. 158 ss.:

μάρψω σ' αὖ τόξοις, ὦ Ζηνὸς
κῆρυξ, ὀρνίθων γαμφηλαῖς
ἰσχὺν νικῶν.

---

1) Vid. v. Wilamowitz Hermes XXI 1886 p. 597 sqq.
2) De singulis vid. Robert Oed. I p. 576 ss.

Cycnus adpropinquat; iisdem minis Delum abire iubetur v. 161 ss.:

ὅδε πρὸς θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει
κύκνος· οὐκ ἄλλᾳ
φοινικοβαφῆ πόδα κινήσεις;
οὐδέν σ' ἁ φόρμιγξ ἁ Φοίβου
σύμμολπος τόξοις ῥύσαιτ' ἄν·
πάραγε πτέρυγας,
λίμνας ἐπίβα τᾶς Δηλιάδος·
αἱμάξεις, εἰ μὴ πείσει,
τὰς καλλιφθόγγους ᾠδάς.

Tertia avis nomine non designata, ne sub templi fastigiis nidum aedificet, sagittis prohibetur, Olympiam aut in Isthmum relegatur v. 169 ss.:

ἔα ἔα·
τίς ὅδ' ὀρνίθων καινὸς προσέβα;
μῶν ὑπὸ θριγκοὺς εὐναίας
καρφηρὰς θήσων τέκνοις;
ψαλμοί σ' εἴρξουσιν τόξων.
οὐ πείσει; χωρῶν δίναις
ταῖς Ἀλφειοῦ παιδούργει
ἢ νάπος Ἴσθμιον,
ὡς ἀναθήματα μὴ βλάπτηται
ναοί θ' οἱ Φοίβου.

Necare vero has aves candidas puer veretur, cum deorum nuntii sint v. 179 ss.:

κτείνειν δ' ὑμᾶς αἰδοῦμαι
τοὺς θεῶν ἀγγέλλοντας φάμας
θνατοῖς.

Haec omnia igitur se videre spectator sibi persuadet, dum actoris verba audit, gestus videt.

Neque aliter se res habere poterat in Aeschyli Prometheo Soluto, ubi Hercules in orchestra aquilam sagitta confixit. Plutarch Amator. Cap. 14 p. 757 E. *ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἕτερον θεὸν παρακαλεῖ μέλλων ἐπὶ τὸν ὄρνιν αἴρεσθαι τὸ τόξον ὡς Αἰσχύλος φησίν·* (fr. 200 Nauck[2]).

'ἀγρεὺς δ' Ἀπόλλων ὀρθὸν ἰθύνοι βέλος'.

Sed revertamur ad Ionem. In eius fabulae parodo chorus mulierum Atheniensium templi Delphici pulchritudinem admiratur v. 184 ss.:

HMIX. A οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθά-
ναις εὐκίονες ἦσαν αὐ-
λαὶ θεῶν μόνον, οὐδ' ἀγυι-
άτιδες θεραπεῖαι·
ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ
τῷ Λατοῦς διδύμων προσώ-
πων καλλιβλέφαρον φῶς.[1])

Quod ad templi duplex tympanum, quod Pindarus (Ol. XIII 22) *οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον* vocaverat, recte omnes referunt praeter Karonem, qui de Cnidiorum thesauri duabus Caryatidibus elegantius quam verius cogitavit.[2]) Tum scalpturas admirantur:

HMIX. B ἰδοὺ τάνδ', ἄθρησον,
Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει
χρυσέαις ἅρπαις ὁ Διὸς παῖς·
φίλα, πρόσιδ', ὄσσοις.

HMIX. A ὁρῶ καὶ πέλας ἄλλος αὐ-
τοῦ πανὸν πυρίφλεκτον αἴ-
ρει τις· ἆρ' ὃς ἐμαῖσι μυ-
θεύεται παρὰ πήναις,
ἀσπιστὰς Ἰόλαος, ὃς
κοινοὺς αἰρόμενος πόνους
Δίῳ παιδὶ συνάντλει;[3])

HMIX. B καὶ μὰν τόν δ' ἄθρησον
πτεροῦντος ἔφεδρον ἵππου·

---

[1]) *διδύμων τε προσώπων καλλίφαρον φάος,* Codd., corr. Brodaeus.

[2]) Bull. d. corr. hell. XXXIII 1909 p. 212 ss. Sed v. Blümnerum et Hitzigium Paus. V p. 738 s.

[3]) Imperfectum suadente Roberto restitui; *συναντλεῖ* codd.

τὰν πῦρ πνέουσαν ἐναίρει
τρισώματον ἀλκάν.
HMIX. A παντᾷ τοι βλέφαρον διώ-
κω. σκέψαι κλόνον ἐν τείχε-
σι λαΐνοισι Γιγάντων.
HMIX. B ὦ φίλαι, ὧδε δερκόμεσθα.
HMIX. A λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ
γοργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν;
HMIX. B λεύσσω Παλλάδ', ἐμὰν θεόν.
HMIX. A τί γάρ, κεραυνὸν ἀμφί-
πυρον ὄβριμον ἐν Διὸς
ἑκηβόλοισι χερσίν;
HMIX. B ὁρῶ τὸν δάϊον
Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ.
HMIX. A καὶ Βρόμιος ἄλλοις ἀπολέμοι-
σι κισσίνοισι βάκτροις
ἐναίρει Γᾶς τέκνων ὁ Βακχεύς.

Quinque igitur artificia commemorantur: Hercules cum Iolao hydram, Bellerophon Pegaso insidens Chimaeram interficiens, Minervae cum Encelado, Iovis cum Mimante, Bacchi cum tertio gigante pugna. Tria ultima arte inter se cohaerent, eiusdem imaginis partes sunt, in muro lapideo conlocatae, neque prius conspiciuntur, quam oculis in omnem partem circumlatis; priora duo ultro sub aspectum cadunt. Quod si expenderis, gigantomachiam illam (κλόνον Γιγάντων) nulla alia in templi parte, quam in zophoro insertam fuisse posse concedes. Nam si in tympano posita fuisset, primo obtutu in oculos incurrere debebat. Contra hydrae et chimaerae in tympano locus fuisse potest, dummodo statuas illic, sicut in templi Corcyraei tympano, varios mythos coniunctos fuisse.[1]) Sed multo probabilius est has imagines tympani acroteria angularia fuisse[2]), quibus magis conspicuum profecto nihil esse potest.

---

1) Vid. Robertum Gött. gel. Nachr. 1912 p. 481 ss.
2) Vid. Robertum Iliupersis p. 36 u. 23.

Iam duae quaestiones perdifficiles oboriuntur, quae seorsum tractandae neque ullo modo contaminandae sunt. Quarum prior est, num templum Delphicum iisdem imaginibus idque iisdem in partibus ornatum fuerit, altera num, quae chorus se videre affirmlat, etiam a spectatoribus in scaena animadversa sint. Iam postquam Gallorum operis templi illius rudera summa cum cura effossa sunt, constat metopas eius sculpto ornatu caruisse. Itaque Homollius, qui operis illis praeerat, chorum tympanum describere suspicatus est. Atque statuarum, quae duobus tympanis adscribuntur, duae classes distinguuntur, quarum una tofo, altera marmore constat. Marmora ad tympanum orientale pertinere Herodoti testimonio constat, qui Alcmaeonidas, ut munificentiam suam deo Pythico ostenderent, frontem eius ex marmore Pario exstruxisse tradit, quamquam in libello totum aedificium ex tofo provisum erat.[1]) Iam fragmenta eruta marmorea tympanum orientale animalium pugnas, quadrigas, virorum mulierumque figuras continuisse probant,[2]) ita ut id, quod modo exempli causa posuimus, revera factum esse videatur, nimirum ut variae varii argumenti imagines coniunctae essent. Quid quod una e figuris illis muliebribus schema illud ab Archermo Chio inventum exhibet, quod hodie a plerisque ad Victoriam, a Roberto autem ad Dianam alatam refertur; quam figuram non sine probabilitate in acroterio angulari conlocant.[3]) Quae utut se habent, nullo modo haec omnia cum Euripidis verbis convenire luce clarius est. At in fragmentis tofineis Homollius[4]) gigantomachiae reliquias indagasse sibi visus est. Mulierem crure dextro nudato currentem pro Minerva habet, praesertim cum aegidis vestigia superesse adfirmet, virum nudum genibus nixum pro Encelado,

---

[1]) V 62. *οἷα δὲ χρημάτων εὖ ἥκοντες καὶ ἐόντες ἄνδρες δόκιμοι ἀνέκαθεν ἔτι τόν τε νηὸν ἐξεργάσαντο τοῦ παραδείγματος κάλλιον τά τε ἄλλα καὶ συγκειμένου σφι πωρίνου λίθου ποιέειν τὸν νηόν, Παρίου τὰ ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἐξεποίησαν.*

[2]) Bull. d. corr. hell. XXV 1901 tab. IX—XV.

[3]) Bull. d. corr. hell. l. l. tab. XVI.

[4]) Bull. d. corr. hell. XXV 1901. tab. XVIII, XIX p. 498 ss.

figuram virilem tranquille stantem pro Bacchi aliquo socio, bestiae fragmentum pro sacro aliquo eiusdem dei animali. Sed haec maximam partem non ex ipsis fragmentis, sed ex Ionis versibus conclusa sunt. Ponitur, id quod demonstrandum erat, chorum tympanum Delphicum describere. Et fac haec recte sumpta esse, quomodo explicatur mulieres, quamvis ante frontem templi stent, de tympano averso, quod nullo modo conspicere possunt, verba facere? Quae cum tam incerta quam mira sint, alii de Cnidiorum thesauri zophoro, quem inter alia Gigantomachiam continuisse constat, cogitare maluerunt.[1]) Sed ne hoc quidem stare potest. Namut missum ciamus thesaurum illum a templo longius distare, quam cuius ornatus ab iis, qui templum intraturi sunt, oculis concipi possit, chorum de templi ornatu loqui non solum prima parodi stropha[2]), sed etiam multo magis secunda antistropha probat, in qua chorus, postquam gigantomachiae figuras descripsit, Ionem aeditui munere fungentem interrogat, num propius accedere liceat v. 219 ss.:

σέ τοι τὸν παρὰ ναὸν αὐ-
δῶ· θέμις γυάλων ὑπερ-
βῆναι λευκῷ ποδὶ κτλ..

Scilicet post exterioris iam interioris templi ornamenta admirari cupit. Quae cum ita sint, ingenue fatendum est chori descriptioni cum templi Delphici ornatu nihil esse commune. Poetae licentia usus Euripides templum illud his artificiis ornatum esse finxit; atque cum fabulae illae saepissime ab artificibus Graecis expressae fuerint, minime necesse est eum certum aliquod exemplum in animo habere. Quod si quis nihilo minus desideret, Parthenonis metopae orientales ei in

---

[1]) Karo, Bull. d. corr. hell. XXXIII 1909 p. 212 ss. At cf. Blümner Wochenschr. f. cl. Phil. 23, 1909, 890 ss.

[2]) Hac de causa ne alia quidem Karonis opinio stare potest, qui Herculis hydram interficientis statuam nullam aliam esse suspicatur, quam Tisigorae opus ante templum conlocatum Paus. X 18, 6; etiam Bellerophontis statuam eodem loco positam, sed Pausaniae tempore ablatam aut deletam fuisse arbitratur.

memoriam revocandae sint, in quibus cum aliorum deorum tum Iovis Minervae Bacchi cum gigantibus pugnas effictas hodieque videmus. Sed utut haec sese habent, multo gravior altera quaestio est, num quae chorus conspicere se dicit, ea re vera in scaena adfuerint. Atque fieri potuisse, ut elegantiae studio versus finem quinti saeculi crescente scaenae frons signis imaginibusque pictis ornaretur, nequaquam negandum est.[1]) Etiam in Euripidis Hypsipyla, quae paucis annis post Ionem docta est, templi Iovis Nemei tympanum figuras pictas continuisse, quas Thoas et Euneos admirantur, ex fr. 764,

> *ἰδού, πρὸς αἰθέρ' ἐξαμίλλησαι κόρας*
> *γραπτούς τ' ἐν αἰετοῖσι πρόσβλεψον τύπους*[2])

elucet, quamquam incertum est, num in hac quoque fabula singula a personis contemplantibus descripta sint. Nam in hac ipsa descriptione est in quo haereamus. Nihil dico de acroteriis; sed de metopis quid statuendum est? Fac scaenae pictorem poetae verbis obsecutum tres illas pugnas finxisse. At non tres, sed decem aut duodecim metopae ei ornandae erant. Dixeris nihil simplicius fuisse quam ceterarum exempla ex artis operibus petere, quae poetae ipsi, cum versus illos scriberet, animo obversarentur. Atque haec ut concedenda sint, quid de spectatoribus dicemus? qui dum chori versus audiunt, imagines ab illo descriptas in scaenae fronte inter plures alias scrutari debebant atque tribus absolutis mirari, quod non ceterae quoque describerentur. Inde importunam quandam animorum perturbationem nasci necesse erat, qua et spectatorum audientia minui et tragoediae pondus infringi debebat. Longe aliter sese res habebat, si in metopis non circumscriptae distinctaeque figurae sed incertae lineae et umbrae animadvertebantur, quae ex poetae demum verbis

---

[1]) Robertus quoque olim (Iliup. l. l.) Gigantomachiam pictam fuisse statuit; sed hodie eum eius sententiae paenitere scio.

[2]) Ita Valckenarius, nisi quod *προσβλέπειν* scripsit; *γραπτοὺς οἷσιν πρόσβλεπον* Galeni libri; sed *αἰετοῖσι* restituendum esse contextus docet; *γραπτούς τ' — πρόσβλεψον* Nauck.

formam et vim accipiebant. Atque haec quidem mihi tragoediae Graecae et naturae et usui unice convenire videntur. Contra cum in eiusdem poetae Iphigenia Taurica Orestes et Pylades capita humana templi fronti adfixa vident,[1]) haec aut pictura aut alio modo repraesentata fuisse pro certo habeo. Neque aliter de vitibus iudico, quibus in Euripidis Bacchis Bachus se monumentum matris vestivisse praedicat v. 11 s.:

ἀμπέλου δέ νιν
πέριξ ἐγὼ 'κάλυψα βοτρυώδει χλόῃ.

Sed revertamur ad ea, quae trans orchestram posita esse poetae fingunt. Prometheum in Scythia altae rupi adfixum Aeschylus et mare et fluviorum capita conspicere vult; nam ea quoque eum post aethera et ventos una cum terra et sole adpellantem facit v. 89 ss.:

ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτορ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ·
ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.

Difficilius dictu est, quo modo Euripides in Andromeda rem sibi cogitaverit; ubi ad Promethei exemplum Cephei filia rupi adfixa est; haec autem rupes ad litus marinum sita est, ita ut in prologo orchestra pro mari habenda sit. At mox orchestra a choro virginum occupatur et postea monstrum marinum a Perseo extra orchestram occiditur. Itaque apparet poetam eadem licentia uti, quam in tempore et loco constituendo iam saepius offendimus; nam per maiorem fabulae partem mare rupe illa occultari vult.

Simili modo, ac Prometheus a rupe mare longinquum, Danaus in Supplicibus a clivo, qui orchestram mediam occupat, primum Aegyptiorum navem praetoriam, tum totam classem agnoscit, singula armamenta, nautarum corpora nigra, vestes albas distinguit, appellentes animadvertit v. 713 ss.:

---

[1]) V. 74 s.: *ΟΡ. θριγκοῖς δ' ὑπ' αὐτοῖς σκῦλ' ὁρᾷς ἠρτημένα;*
ΠΥ. τῶν κατθανόντων γ' ἀκροθίνια ξένων.

ἱκεταδόκου δὲ τῆσδ' ἀπὸ σκοπῆς ὁρῶ
τὸ πλοῖον. εὔσημον γάρ. οὔ με λανθάνει
στολμοί τε λαίφους καὶ παραρρύσεις νεὼς
καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασιν ὁρῶσ' ὁδόν,
οἴακος εὐθυντῆρος ὑστάτου νεὼς
ἄγαν καλῶς κλύουσα, τοῖσιν οὐ φίλη.
πρέπουσι δ' ἄνδρες νήιοι μελαγχίμοις
γυίοισι λευκῶν ἐκ πεπλωμάτων ἰδεῖν,
καὶ τἄλλα πλοῖα πᾶσά θ' ἡ 'πικουρία
εὔπρεπτος· αὐτὴ δ' ἡγεμὼν ὑπὸ χθόνα
στείλασα λαῖφος παγκρότως ἐρέσσεται.

In Cyclope autem Euripidis Silenus vel ex plana orchestra Ulixis navem appellentem, ipsum cum sociis adpropinquantem videt v. 85 ss.:

ὁρῶ πρὸς ἀκτὰς ναὸς Ἑλλάδος σκάφος
κώπης τ' ἄνακτας σὺν στρατηλάτῃ τινὶ
στείχοντας εἰς τόδ' ἄντρον, ἀμφὶ δ' αὐχέσι
τεύχη φέρονται κενὰ βορᾶς κεχρημένοι
κρωσσούς θ' ὑδρηλούς.

Neque secus in Supplicibus Danaus ex plana orchestrae parte, unde in clivum postea demum ascendit, regis Argivi satellites approperare videt v. 180 ss.:

ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ·
σύριγγες οὐ σιγῶσιν ἀξονήλατοι·
ὄχλον δ' ὑπασπιστῆρα καὶ δορυσσόον
λεύσσω ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ' ὀχήμασιν.
τάχ' ἂν πρὸς ἡμᾶς τῆσδε γῆς ἀρχηγέται
ὀπτῆρες εἶεν ἀγγέλων πεπυσμένοι.

In tertia quoque trilogiae Thebanae Aeschyleae fabula, quae Ἑπτὰ inscribitur, clivus deorum symbolis insignis media orchestra conspiciebatur. Inde virginum chorus, qui eo confugit, exercitum Argivorum per campum ad muros adcurrentem videt v. 80 ss.:

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας·
αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ'
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.

v. 90 ss.:

ὑπὲρ τειχέων
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
τρεπὴς ἐπὶ πόλιν διώκων πόδα.[1])

v. 124 ss.:

ἑπτὰ δ' ἀγήνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσσοῖς σαγαῖς πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες.

Multo latius comoediam vagari consentaneum est. Ita in Aristophanis Equitibus botularius ex mensa, in quam a Demi servis iussus ascendit, non solum maris Aegaei insulas omnes, sed etiam Cariam et Carthaginem circumspicit v. 169 ss.:

ΟΙΚ. ἀλλ' ἐπανάβηθι κἀπὶ τοὐλεὸν τοδὶ
καὶ κάτιδε τὰς νήσους ἁπάσας ἐν κύκλῳ.
ΑΛΛ. καθορῶ. ΟΙΚ. τί δαί; τἀμπόρια καὶ τὰς ὁλκάδας;
ΑΛΛ. ἔγωγε. ΟΙΚ. πῶς οὖν οὐ μεγάλως εὐδαιμονεῖς;
ἔτι νῦν τὸν ὀφθαλμὸν παράβαλλ' εἰς Καρίαν
τὸν δεξιόν, τὸν δ' ἕτερον εἰς Καρχηδόνα.
ΑΛΛ. εὐδαιμονήσω δ' εἰ διαστραφήσομαι;

Etiam ex scaenae partibus superioribus eodem modo ea, quae trans orchestram posita sunt, loca speculantur. In Aeschyli Agamemnone Clytaemestrae excubitor in regiae tecto accubans significationem in Arachnaeo monte (v. 308) ignibus faciendam et exspectat et videt v. 8 ss.:

καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον
αὐγὴν πυρὸς φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν
ἁλώσιμόν τε βάξιν.

v. 22 ss.:

ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτὸς ἡμερήσιον
φάος πιφαύσκων καὶ χορῶν κατάστασιν
πολλῶν ἐν Ἄργει, τῆσδε συμφορᾶς χάριν.

---

1) πόδα supplevit Bücheler.

In Euripidis Phoenissis Antigona ex tabulatione intermedia, quae *διστεγία* vocabatur, castra Argivorum contemplatur, ex paedagogo, qui eam comitatur, nomina ducum comperit, vel arma singulorum distinguit v. 109 ss.:

> *ἰὼ πότνια παῖ Λατοῦς*
> *Ἑκάτα, κατάχαλκον ἅπαν*
> *πεδίον ἀστράπτει.*

v. 119 ss.:

> *τίς οὗτος ὁ λευκολόφας,*
> *πρόπαρ ὃς ἁγεῖται στρατοῦ*
> *πάγχαλκον ἀσπίδ' ἀμφὶ βρα-*
> *χίονι κουφίζων; κτλ.*

Denique lepidissime Aristophanes in Pace Trygaeum e machina pendentem atque in altum sublatum Piraei angiportus conspicere et hominem cacantem monere facit, ut excrementa defodiat, ne scarabaeus aviditate captus deorsum volans se effundat, v. 164 ss.:

> *ἄνθρωπε, τί δρᾷς, οὗτος ὁ χέζων*
> *ἐν Πειραιεῖ παρὰ ταῖς πόρναις;*
> *ἀπολεῖς μ', ἀπολεῖς. οὐ κατορύξεις,*
> *κἀπιφορήσεις τὴν γῆν πολλήν,*
> *κἀπιφυτεύσεις ἕρπυλλον ἄνω,*
> *καὶ μύρον ἐπιχεῖς;*

V.

De ostentis.

Pollux (IV 130) machina quadam sub scaena posita, quae *βροντεῖον* vocabatur, tonitrum imitando effictum esse testatur. Idem Scholia vetera in Aristophanis Nubes 294[1]) tradunt, nisi quod de machinae institutione dissentiunt. Tanta autem est utriusque generis simplicitas, ut non sit, cur hanc machinam iam quinto saeculo usu receptam fuisse negemus.

---

[1]) Exscripsit Suidas v. *βροντεῖον*.

Accedit quod a personis tragicis et comicis tonitrus sonus non tam latius describi quam brevibus verbis indicari solet, ut et ab illis et a spectatoribus re vera auditus esse videatur.

Gravissimum exemplum Sophoclis Oedipus Coloneus praebet. Chorus modo divinas sententias protulit, subito tonitru interrumpitur v. 1456:

ἔκτυπεν αἰθήρ, ὦ Ζεῦ.

Atque vix Oedipus dixit se deorum ostentum mortem propinquam sibi portendens agnoscere, cum iterum tonitrus auditur v. 1462 ss.:

ἴδε μάλα μέγας ἐρείπεται
κτύπος ἄφατος ὅδε διόβολος.

Mox tertius tonitrus etiam terribilior sequitur v. 1477 s.:

ἔα ἔα, ἰδοὺ μάλ' αὖθις ἀμφίσταται διαπρύσιος ὄτοβος.

Neque haec satis fuisse, sed per totum episodium tonitrus continuatos esse sequentia Oedipi verba docent v. 1514:

αἱ πολλὰ βρονταὶ διατελεῖς.

Haec profecto maiora sunt, quam quae cogitatione tantum fingi posint. At non solum tonitrus, sed etiam fulgura commemorantur; pergit enim Oedipus v. 1514 s.:

τά πολλά τε
στράψαντα χειρὸς τῆς ἀνικήτου βέλη.

Idem significat, cum v. 1460 s. dicit

Διὸς πτερωτὸς ἥδε μ' αὐτίκ' ἄξεται
βροντὴ πρὸς Ἅιδην.

Id quod chori verbis confirmatur v. 1467:

οὐρανία γὰρ ἀστραπὴ φλέγει πάλιν.

Atque Pollux ad fulgura effingenda in alto quodam trigono, quod *περίακτος* dicebatur, machinam quandam, quam *κεραυνοσκοπεῖον* vocabant, constitutam fuisse refert (IV 130). Sed haec ad posteriorem scaenae formam spectant. Quinto saeculo quomodo fulgur repraesentatum sit nescimus; haud scio an de face subito elevata cogitandum sit.[1]) Certe aliquo modo in

[1]) Fortasse ad antiquiorem memoriam redeunt, quae Tzetzes de comoed. V 33 (p. 22, 96 Kaib.) de *χειροτινάκτῳ πυρί* tradit. De tonitru

orchestra momento temporis fulgor brevissimus effici debebat. Contra nec grando, de qua Theseus loquitur[1]), nec imber ullo modo effingi poterant; immo spectatores dum tonitrum audiunt fulgura oculis percipiunt, imbrem et tempestatem cogitatione addunt. Neque aliter in Euripidis Alcumena rem sese habuisse opinor, ubi ante spectatorum oculos rogus ab Amphitryone exstructus tempestate a Iove missa exstinctus est[2]), id quod significat Plautus Rud. 86: ‚non ventus fuit, verum Alcumena Euripidis.' Atque hic quidem chori aut actorum verba spectatorum cogitationem excitare poterant, sicut fieri videmus in Aeschyli Prometheo. Ibi enim primum Mercurius Prometheo minatur v. 1014 ss.:

σκέψαι δ', ἐὰν μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις,
οἷός σε χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία
ἔπεισ' ἄφυκτος· πρῶτα μὲν γὰρ ὀκρίδα
φάραγγα βροντῇ καὶ κεραυνίᾳ φλογὶ
πατὴρ σπαράξει τήνδε, καὶ κρύψει δέμας
τὸ σὸν, πετραία δ' ἀγκάλη σε βαστάσει.

Atque haec quidem fere omnia spectatores visuri sunt. Sed tum Prometheus, dum terra hauritur, clamat v. 1081 ss.:

χθὼν σεσάλευται,
βρυχία δ' ἠχὼ παραμυκᾶται
βροντῆς, ἕλικες δ' ἐκλάμπουσι
στεροπῆς ζάπυροι, στρόμβοι δὲ κόνιν
εἱλίσσουσι· σκιρτᾷ δ' ἀνέμων
πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα
στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα·
ξυντετάρακται δ' αἰθὴρ πόντῳ.

Terrae motum, pulveris turbinem, ventorum fremitum, nubes mare impendentes spectatores non re vera animadvertunt, sed ab actore iussi se animadvertere sibi persuadent.

---

et fulmine in posterioris aetatis theatro efficiendis vide etiam Heronem de autom. XX p. 408 ss., XXX p. 448 ss. W. Schmidt.

1) V. 1502 s. *μή τις Διὸς κεραυνὸς ἤ τις ὀμβρία χάλαζ' ἐπιρράξασα*

2) Vide R. Engelmann Archäol. Stud. zu d. Tragikern p. 60.

Tonitrus etiam in Aristophanis Nubibus auditur, priusquam chorus orchestram intrat v. 292 ss.:

ΣΩ. ᾔσθου φωνῆς ἅμα καὶ βροντῆς μυκησαμένης θεοσέπτου;
ΣΤΡ. καὶ σέβομαί γ', ὦ πολυτίμητοι καὶ βούλομαι ἀνταποπαρδεῖν
πρὸς τὰς βροντάς.

In Avibus autem non solum auditur, sed etiam chori versibus egregie pingitur, quibus Pisthetaerus Iovis fulmen gerens ita praedicatur v. 1750 ss.:

ὦ χθόνιαι βαρυαχέες
ὀμβροφόροι θ' ἅμα βρονταί,
αἷς ὅδε νῦν χθόνα σείει.
Δία δὲ[1]) πάντα κρατήσας. κτλ.

Omnino autem quilibet strepitus facile exprimi poterat; itaque non dubito quin in Troadum fine Troiae ruina fragore post scaenam facto significata sit, v. 1325 s.:

ΕΚ. ἐμάθετ', ἐκλύετε; ΧΟ. Περγάμων κτύπον.
ΕΚ. ἔνοσις ἅπασαν, ἔνοσις ΧΟ. ἐπικλύσει πόλιν.

Eodem modo etiam terrae motus indicari potuisse vix est quod moneam. Id quod factum esse videtur in Euripidis Bacchis, ubi chorus a deo ex aedibus appellatus clamat v. 585:

πέδον χθονὸς Ἔνοσι πότνια.

Quod vero tum Penthei regiam labare, epistylia vacillare videt v. 591 s.:

ἴδετε τὰ λάινα κίοσιν ἔμβολα
διάδρομα τάδε,

rursus spectatoribus persuadet, quae oculis non percipiunt.

Idem in Hercule accidit, postquam Lyssa domum intravit; ibi quoque chorus clamat v. 904 ss.:

ἰδοὺ ἰδού,
θύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη·
ἤ ἤ τί δρᾷς, ὦ Διὸς παῖ, μελάθρῳ;

---

[1]) Ex emendatione Hauptii; διὰ σὲ τὰ libri.

τάραγμα ταρτάρειον, ὡς
ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλάς, εἰς δόμους πέμπεις.

Videre igitur se fingit quae Lyssa antea minata est v. 864:

καὶ καταρρήξω μέλαθρα καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ.

Atque tantum abest ut in alterutra fabula domum corruere poeta velit, ut etiam in sequentibus tragoediae partibus incolumem eam stare diserte significet. Nam in Bacchis paullo post Pentheus Bacchum in hominem commutatum interrogat v. 645 s.:

πῶς προνώπιος
φαίνει πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς;

Ipse paullo post se domum intrare velle dicit v. 843:

ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι.

Agaue in exilium abitura domum valere dicit v. 1368: χαῖρ' ὦ μέλαθρον. In Hercule autem Amphitryon veretur ne privignus suus experrectus et mentis compos factus et se ipsum et domum pessumdet v. 1055 s.:

ἢ δέσμ' ἀνεγειρόμενος χαλάσας ἀπολεῖ πόλιν,
ἀπὸ δὲ πατέρα μέλαθρά τε καταράξει.

Itaque aedes collapsae esse non possunt. In Bacchis autem spectatores non solum fragorem audiunt, sed etiam fulmen a Baccho iactum vident v. 594 s.:

ἅπτε κεραύνιον αἴθοπα λαμπάδα·
σύμφλεγε σύμφλεγε δώματα Πενθέως.

Simul chorus apud Semelae sepulcrum ignem exardescere videt v. 596 ss.:

ἆ ἆ,
πῦρ οὐ λεύσσεις οὐδ' αὐγάζει
Σεμέλας ἱερὸν ἀμφὶ τάφον, ἅν
ποτε κεραυνόβολος ἔλιπε φλόγα
Δίου βροντᾶς;

Neque est cur dubitemus, quin re vera in adyto illo, sive scaenae pars lateralis erat sive aedificium separatum, hoc temporis momento ignis accensus aut excitatus sit; nam in

prologo Bacchus hoc ex aedificio evolvi dicit fumum, quem re vera a spectatoribus visum esse non est cur negemus v. 6 ss.:

ὁρῶ δὲ μητρὸς μνῆμα τῆς κεραυνίας
τόδ' ἐγγὺς οἴκων καὶ δόμων ἐρείπια
τυφόμενα Δίου πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα,
ἀθάνατον Ἥρας μητέρ' εἰς ἐμὴν ὕβριν.

Contra vix est quod moneam in Aristophanis Acharnensibus cum Lamachus clamat v. 1141:

νείφει· βαβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα,

spectatores non nives videre, sed actori eas cadere credere. Atque in comoedia non solum ostenta sed etiam monstra solis actorum verbis spectatorum mentibus subiciuntur. Egregium huius rei exemplum Aristophanis Ranae praebent, ubi Xanthias Empusam conspicere et sibi videtur et domino persuadet v. 285 ss.

VI.

De mandatis negotiis consiliis non peractis.

Apud Aeschylum Eteocles cum fratre congressurus ocreas sibi ferri iubet, quippe quas etiam apud Homerum heroes, cum se armant, primas sibi applicent, Sept. 675 ss.:

φέρ' ὡς τάχος
κνημῖδας, αἰχμῆς καὶ πετρῶν προβλήματα.

cf. Il. *Γ* 330 s. (= *Π* 131 ss.):

κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκεν,
καλάς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοισ' ἀραρυίας,

saepius. Ad Aeschyli versus haec adnotat Wilamowitzius: „adloquitur Eteocles armigerum, qui inter pedisequos adstat, is ocreas protendit, nec tamen in scaena domino applicat". Atque profecto quis sibi persuadeat Eteoclem, dum cum choro de generis sui fato summa animi perturbatione conloquitur, simul ocreas induere? Atque paene ridiculum est credere eum post verba v. 719

θεῶν διδόντων οὐκ ἂν ἐκφύγοις κακά

hoc fecisse. Sed ne id quidem satis probabile est armigerum per totum *κόμμον* cum ocreis adstitisse aut ocrea protenta dominum in proelium abeuntem secutum esse. Addere possis in tragoedia pedisequos non ocreas tenere, sed hastas (*δορυφόροι*). Immo mandatum illud ab Eteocle non pedisequorum alicui datur, sed nescio cui, quem extra orchestram versari poeta fingit; sed tantum abest ut peragatur, ut et Eteocles et chorus et spectatores prae magna, quae eorum animos capiat, commotione mandati huius obliviscantur. Confirmari videtur haec interpretatio imitatione Euripidea; nam etiam in Phoenissis Eteocles abiturus clamat v. 778 ss.:

προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω·
ἐκφέρετε τεύχη πάνοπλά τ' ἀμφιβλήματα,
ὡς εἰς ἀγῶνα τὸν προκείμενον δορὸς
ὁρμώμεθ' ἤδη ξὺν δίκῃ νικηφόρῳ.

Nam omni probabilitatis specie caret eum, dum sequentibus versibus Providentiam deam invocat, arma cepisse. Etiam minus autem verisimile est eum id tum fecisse, cum chorus cantum suum incipit, et cantante illo mutum abiisse.

Paullo aliter res sese habet in Aeschyli Choephoris, ubi Clytaemestra, postquam ex servi verbis conclusit Orestem adesse et Aegisthum necavisse, securim sibi ferri iubet, at, priusquam iusso pareri possit, Orestes procedit et eam stricto gladio minitatur v. 889 ss.:

ΚΛ. δοίη τις ἀνδροκμῆτα πέλεκυν ὡς τάχος·
εἰδῶμεν εἰ νικῶμεν ἢ νικώμεθα·
ἐνταῦθα γὰρ δὴ τοῦδ' ἀφικόμην κακοῦ.
ΟΡ. σὲ γὰρ ματεύω· τῷδε δ' ἀρκούντως ἔχει
κτλ.[1])

---

[1]) Aeschylum hac in re antiquiorem quendam poetam, ut Wilamowitzio videtur epicum aliquem Delphicum, ut Roberto Stesichorum sequi vasorum picturae docent. Sed in poemate illo Clytaemestra revera securim contra filium vibravit, qui tamen Talthybio praecone intercedente servatus est.

Multo latius hic usus in comoedia patet. Ita in Aristophanis Avibus Pisthetaerus, postquam Irim commenticias Nephelococcygiae portas intrasse comperit, fundam sibi ferri iubet v. 1187: σφενδόνην τίς μοι δότω. Cum vero in sequentibus neque mentionem eius faciat neque ea utatur, apparet neminem dicto audientem fuisse. De ceteris eius iussis non magis peractis in proximo capite agemus.

Simili modo in Acharnensibus Dicaeopolis anguilla, quam per tot belli annos desideravit, salutata servos foculum et flabellum foras ferre iubet v. 887 s.:

δμῶες, ἐξενέγκατε
τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο καὶ τὴν ῥιπίδα.

Sed quamquam paullo post pueris anguillam ostendit atque eos tragicum nescio quem imitatus adloqui eam iubet seque carbones praestiturum esse promittit[1]), tamen tantum abest, ut coram spectatoribus apparetur, ut statim postea Dicaeopolis in domum eam ferri intusque beta addita coqui iubeat v. 893 s.:

ἀλλ' εἴσφερ' αὐτήν· μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανωμένης.[2])

Itaque foculus adportatus non esse, mandatum irritum cecidisse videtur[3]).

Idem valet de Ecclesiazusis ubi περιστίαρχος i. e. lustri magister mustelam circumferre iubetur v. 128; at hercle nec mustela adest nec lustri magister.

---

[1]) V. 891 s.: προσείπατ' αὐτήν, ὦ τέκν'· ἄνθρακας δ' ἐγὼ
ὑμῖν παρέξω τῇδε τῆς ξένης χάριν.

Mihi quidem certum videtur poetam hic non παρατραγῳδεῖν sed παρῳδεῖν, Inde dissensus cum praecedentibus natus est.

[2]) Ex Euripidis Alc. 367 s.: μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί.

[3]) Aliter in sacrificiis res sese habet, quae et in Pace et in Avibus spectatoribus ostenduntur. Ibi enim non solum ara in orchestram apportatur (Pac. 938 ἐγὼ δὲ ποριῶ βωμὸν ἐφ' ὅτου θύσομεν. Av. 958 εὐθὺς σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα), sed totus rei divinae apparatus. Sed cum nullo modo fieri possit, ut in orchestra hostia immoletur, advenarum molestiis sacrificium interrumpitur et impeditur, donec in domo perficitur et, ut lepide Trygaeus dicit, τὸ πρόβατον τῷ χορηγῷ σῴζεται.

Contra cum in Ranis Bacchus Aeschyli minis perterritus clamat v. 847 s.:

ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε·
τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται,

haec non serio sed rhetorice dicta sunt. Neque multum distat, quod in eadem fabula duae infernorum copae, cum Bacchum pelle leonina opertum conspiciant, Herculem voracem et rapacem rediisse opinatae patronos suos Cleonem haec illa Hyperbolum arcessi iubent, mox altera ipsa ad Cleonem advocandum abit (v. 549 ss.). Nam neque Cleo neque Hyperbolus veniunt neque, opinor, quisquam adest, cui mandatum illud dari possit, qua de re in proximo capite denuo disputabimus.

Paullo accuratius de Avium loco nobis disputandum est, quo alter Atheniensium, qui postea Pisthetaeri nomen sibi imponit, longiore oratione aves et placaturus et docturus coronam sibi dari iubet v. 463 s.:

φέρε παῖ στέφανον· καταχεῖσθαι
κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω ταχύ τις.

Quibus auditis alter eum interpellat:

δειπνήσειν μέλλομεν ἢ τί;

Atque in concionibus oratores coronam capiti imponere solitos esse nemo est qui nesciat; itaque in Ecclesiazusis Praxagora, cum mulieres ad concionem praeparat, et coronas paratas habet et concionaturis imponit v. 122:

ἐγὼ δὲ θεῖσα τοὺς στεφάνους κτλ.
v. 131 *περίθου δὴ τὸν στέφανον τὐγάθῃ.*
v. 148 *ἴθι δὴ στεφανοῦ.*
v. 163 *φέρε τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν.*
v. 170 s. *αὐτὴ γὰρ ὑμῶν γ' ἕνεκά μοι λέξειν δοκῶ τονδὶ λαβοῦσα.*

Eodem modo in Thesmophoriazusis, ubi mulieres concionis instituta imitantur[1]), ea, quae praeconis munere fungitur, concionaturam coronam sibi imponere iubet v. 380:

[1]) Vid. Wilamowitz, Aus Kydathen p. 161.

περίθου νυν τόνδε πρῶτον πρὶν λέγειν.

Atque cum his quidem in fabulis personae re vera coronentur, Pisthetaerus, ut hoc nomine utamur, id neque se facere neque fieri simulat. Nulla omnino corona a spectatoribus conspicitur, sed puer commenticius eam adferre iubetur. Qua in re id quoque notandum est mandatum non, ut in concione par erat, praeconi sed puero dari. Itaque concionis imagini imago convivii substituitur, in quo quantae coronarum partes fuerint nemo est, qui nesciat. Eodem modo fere viginti annis postea Aristophanes in Ecclesiazusis, sine dubio horum Pisthetaeri sui verborum memor, unam e mulieribus concionantibus, postquam coronam sibi imposuit, vinum postulantem facit v. 132 s.:

ΠΡ. λέγοις ἄν. ΓΥ. εἶτα πρὶν πιεῖν λέγω;
ΠΡ. ἰδοὺ πιεῖν. ΓΥ. τί γάρ, ὦ μέλ', ἐστεφανωσάμην;

Pisthetaero autem convivium tam praesens ante oculos versatur, ut post coronam etiam aquam ad manus lavandas petat, ita ut suo iure alter senex interroget, num cenaturi sint.

Eodem pertinet, quod in Eumenidibus Minerva litem institutura partes documenta et testimonia praeparare iubet v. 485 s.:

ὑμεῖς δὲ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια
καλεῖσθ', ἀρωγὰ τῆς δίκης ὁρκώματα.

Id quod neque a Furiis neque ab Oreste fit, e quibus nemo ex orchestra abscedit. Quod enim huic Apollo testis adest, sua sponte hoc deus facit neque a cliente rogatus.

Quae exempla qui bene deliberaverit[1]), etiam de Aristophanis Ranarum loco aliquo aliter iudicabit, quam saepius

---

[1]) Neque a nostrarum litterarum poetis tragicis hic usus alienus est. Exempli causa apud Schillerum in tragoedia, quae „Die Braut von Messina“ inscribitur, post Emanuelis domini sui mortem chorus dicit: „Diese Cypresse laßt uns zerschlagen mit der mördrischen Schneide der Axt, eine Bahre zu flechten aus ihren Zweigen“, sed nec poeta voluit neque unquam in theatro vidimus cupressum, quem chorus quasi digitis demonstrat et sub qua Emanuelem occisum esse contendit, re vera a choreutis ante spectatorum oculos securi caedi aut feretrum in scaena configi. Immo feretrum ad mortuum asportandum extrinsecus adfertur. Itaque rhetorice haec a Schillero dicta sunt.

factum est[1]). Nam ibi Orci ianitor pronuntiat Aeschyli et Euripidis artem musicam trutina regulis ulnis formis perpendiculis angulis examinatum iri idque ab Euripide ipso propositum esse v. 796 ss.:

ΘΥΡ. κἀνταῦθα δὴ τὰ δεινὰ κινηθήσεται.
καὶ γὰρ ταλάντῳ μουσικὴ σταθμήσεται.
ΞΑΝ. τί δέ; μειαγωγήσουσι τὴν τραγῳδίαν;
ΘΥΡ. καὶ κανόνας ἐξοίσουσι καὶ πήχεις ἐπῶν,
καὶ πλαίσια ξύμπηκτα — ΧΑΝ. πλινθεύσουσι γάρ;
ΘΥΡ. καὶ διαμέτρους καὶ σφῆνας. ὁ γὰρ Εὐριπίδης
κατ' ἔπος βασανιεῖν φησι τὰς τραγῳδίας.

Nec profecto in eo offendemus, quod ne in eo quidem poeta sibi constat, quod postea non Euripides sed Aeschylus trutinae experimentum postulat v. 1365 ss.

ἐπὶ τὸν σταθμὸν γὰρ αὐτὸν ἀγαγεῖν βούλομαι,
ὅπερ ἐξελέγξει τὴν ποίησιν νῷν μόνον·
τὸ γὰρ βάρος νὼ βασανιεῖ τῶν ῥημάτων.

Nam quanta licentia his in rebus poetae graeci usi sint, iam saepius vidimus. Itaque egregie falli eos puto, qui in levibus his discerpantiis antiquioris huius fabulae formae vestigia deprehendisse sibi visi sunt. Eiusdem rei exemplum sagaciter Kranzius in eadem comoedia indagavit[2]); nam cum Hercules in itinere ad inferos describendo cymbam, serpentes, monstra innumerabilia, scelestos in luto poenas pendentes, initiatorum thiasum commemoraverit (v. 136 ss.), Bacchus et servus Charonem quidem et mystas inveniunt, sed ex monstris unam Empusam, quam tamen Xanthias solus videt et quam ne a spectatoribus quidem conspici supra demonstravimus, scelestos non in luto iacentes sed inter spectatores sedentes cernunt. Quid quod vel tragoediae personae nonnunquam se aliquid facturas esse promittunt, postea autem promisso non stant? Ita in Choephoris Orestes, cum merca-

---

[1]) Vide Eduardum Fränkel, Socrates 1916, Jahresber. d. Philol. Vereins 134; Pohlenz Hermes LIII 1918 p. 415 ss. 1; sed cf. W. Kranz ibid. LII 1917 p. 584 ss.

[2]) l. l. p. 585 n. 1.

toris habitu se Aegisthi fores pulsaturum esse dicit, addit se ipsum et Pyladen Phocaice locuturos esse v. 563 s.:

ἄμφω δὲ φωνὴν ἥσομεν Παρνησσίδα
γλώσσης ἀϋτὴν Φωκίδος μιμουμένω.

At postea ante regiae portas Pylades ne sonum quidem edit, Orestes vero attico vel potius tragico sermone utitur; nam dialecti usus a tragoediae gravitate abhorret.

VII.

De personis commenticiis.

Proprium imprimis comoediae est personas adpellari et negotiis onerari, quae non solum non adsunt sed omnino non existunt nisi dicentis cogitatione. Hoc valet de puero, quem Pisthetaerus coronam sibi porrigere iubet, de personis nescio quibus, quas in Ranis copae ad patronos suos mittunt. Sed multo latius hic usus patet, ita ut vel personarum commenticiarum multitudinem, immo totum exercitum in orchestra adesse poetae fingant. In Avibus Pisthetaerus, priusquam sibi ipsi fundam dari iubet, clamat v. 1185 ss.:

οὐκοῦν σφενδόνας δεῖ λαμβάνειν
καὶ τόξα· χώρει δεῦρο πᾶς ὑπηρέτης·
τόξευε, παῖε.

Atque praeter ipsum nemo in orchestra est nisi chorus et nuntius, nisi forte is iam abiit. Itaque nemo obedit aut obedire potest. In priore autem comoediae parte Pisthetaerus post indutias cum avibus factas exercitum suum dimittit v. 448 ss.:

ἀκούετε λεῴ· τοὺς ὁπλίτας νυνμενὶ
ἀνελομένους θὤπλ' ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε,
σκοπεῖν δ' ὅ τι ἂν προγράφωμεν ἐν τοῖς πινακίοις.[1])

Atque nemo antecedenti pugnae a Pisthetaeri parte affuit nisi ipse et socius, cui postea Euelpidis nomen indit; nam servis

---

[1]) Errant qui haec verba praeconi alicui, de quo nihil in textu legitur, tribuunt; vid. Robert Herm. XXXIII 1898, p. 571.

in defensione partes non erant. Nihilominus Pisthetaerus fingit se magno exercitui imperavisse.

Notissimum huius rei exemplum Aristhophanis Acharnenses exhibent; nam ibi Dicaeopolis filiam in pompa Dionysiorum ruralium canistellum portaturam cavere iubet, ne quis in turba mundum aureum ei subripiat, v. 257 s.:

προβαινε, κἀν τὤχλῳ φυλάττεσθαι σφόδρα
μή τις λαθών σου περιτράγῃ τὰ χρυσία.

Neque tamen quisquam adest praeter Dicaeopolin, duos eius servos, matrem e tecto prospicientem; nam chorus in remotiore orchestrae parte etiam latet. Etiam maiora a spectatorum cogitatione in initio eiusdem comoediae postulantur; nam dum Dicaeopolide solo in orchestra sedente nemo procedit nisi praeco et Amphitheus, fingere sibi debent non solum prytanes venire et de optimis sedibus certare sed cum iis totum populum affluere v. 40 ss.:

ἀλλ' οἱ πρυτάνεις γὰρ οὑτοὶ μεσημβρινοί·
οὐκ ἠγόρευον; τοῦτ' ἐκεῖν' οὑγὼ 'λεγον·
εἰς τὴν προεδρίαν πᾶς ἀνὴρ ὠστίζεται.

Proeunte autem actione ipsa spectatorum corona poetae pro concilio populi est et quando Dicaeopolis clamat v. 56 s.:

ὦνδρες πρυτάνεις, ἀδικεῖτε τὴν ἐκκλησίαν
τὸν ἄνδρ' ἀπάγοντες,

ad veros prytanes in primo ordine sedentes se convertit, similiter atque in Ranis Bacchus Empusae visu perterritus ad sacerdotem suum ludo praesidentem se confugit v. 297:

ἱερεῦ, διαφύλαξόν μ', ἵν' ὦ σοι ξυμπότης.

Neque aliter de concione Thesmophoriazusarum iudicandum est.

Quid quod etiam in Eumenidibus idem recte observavit Wilamowitz[1]). Ibi enim Minerva praeconi praecipit v. 566 ss.:

κήρυσσε, κῆρυξ, καὶ σ τ ρ α τ ὸ ν κατειργαθοῦ,
ἥ τ' † οὖν διάτορος Τυρσηνικὴ
σάλπιγξ βροτείου πνεύματος πληρουμένη

---

1) Aristoteles und Athen II 328; in editione contra aliter iudicare videtur, cum haud exiguam civium coronam Areopagitas sequi scribat.

ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ·
πληρουμένου γὰρ τοῦδε βουλευτηρίου
σιγᾶν ἀρήγει καὶ μαθεῖν θεσμοὺς ἐμοὺς
πόλιν τε πᾶσαν εἰς τὴν αἰανῆ χρόνον.

Orchestra a choro, ab Areopagitis, a Minerva, praecone, Oreste occupatur. Corona vero civium in iudicio praesentium ipsi spectatores sunt, ita ut Aeschyli aequales aequalium Orestae vice fungantur.

Sed ceteroquin in tragoediis, Aeschyli imprimis, personarum mutarum magnae partes sunt; ita in antiquissima, quae aetatem tulit, Supplices dico, rex Argivorum magna cum caterva satellitum advenit, quorum pars curribus vehitur (v. 183 ss.), in fine autem Danaum multi armati comitantur ita, ut tota orchestra mutarum personarum plana esse debuerit v. 985 s.:

ὁμοῦ δ' ὀπαδοὺς τούσδε καὶ δορυσσόους
ἔταξαν, ὡς ἔχοιμι τίμιον γέρας.

In eius tragoediae initio, quae Septem inscribitur, omnis Thebanorum populus praeter milites orchestram implet, ut Eteoclis allocutionem audiat; v. 10 ss.:

ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι
ἥβης ἀκμαίας καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ
βλαστημὸν ἀλδαίνοντα σώματος πολύν,
ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τι συμπρεπές,
πόλει τ' ἀρήγειν καὶ θεῶν ἐγχωρίων
βωμοῖσιν.[1])

In fine orationis suae omnes eos ad turres et muros defendendos delegat v. 30 ss.:

ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων
ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ,
πληροῦτε θωρακεῖα κἀπὶ σέλμασιν
πύργων σταθῆτε καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις
μίμνοντες εὖ θαρσεῖτε, μηδ' ἐπηλύδων
ταρβεῖτ' ἄγαν ὅμιλον· εὖ τελεῖ θεός.

---

[1]) Aeschylus hoc loco Hectoris in Iliade verba in mente habere videtur, *Θ* 517 ss.:

κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ διίφιλοι ἀγγελλόντων

Hunc prologum Aeschyleum Sophoclem in Oedipo tyranno, cuius initio pueros et senes ad aras deorum adsidentes rex adloquitur, imitari sagaciter observavit Wilamovitz[1]).

Comici autem poetae, ut ad eos revertamur, etiam eo procedunt, ut singulos spectatores actionis quodam modo participes faciant. Neque enim tantum eos nominatim compellant, sed etiam responsa eis adfingunt. Ita in Vespis Xanthias spectatores conicere iubet, quonam morbo a φιλο incipiente dominus suus laboret. Tum singulis quae ipse imputat responsa pronunciat; Amyniam eum φιλόκυβον, Sosiam φιλοπότην, Nicostratum φιλοθύτην aut φιλόξενον putare v. 71 ss. In Pace quando quaestio est, cuinam senatorum Theoria committatur, Ariphradem se obtulisse fingitur v. 883 s.:

ΟΙΚ. ἐκεινοσὶ νεύει. ΤΡ. τίς; ΟΙΚ. ὅστις; Ἀριφράδης,
ἄγειν παρ' αὑτὸν ἀντιβολῶν.

Sed propter morum improbitatem non ei neque vero cuiquam alii traditur, ut rursus consilii non peracti exemplum habeamus. Idem Ariphrades[2]) in Ecclesiazusis a Praxagora tacere iubetur v. 129:

Ἀρίφραδες παῦσαι λαλῶν.

In Ecclesiazusis Blepyrus ventris duritie laborans primum ab Amynia in publico sedente remedium petit, tum Antisthenem arcessi iubet.

Nota haec sunt et decantata, tamen monenda erant, ut ad quaestionem graviorem, quae consulto usque ad finem reservavimus, solvendam viam nobis aperiremus. Agitur autem de choro Pacis Aristophaneae. Trygaeus ad Pacem liberandam, quam *Πόλεμος* daemon profundo specu multis lapidibus ingestis abdidit, omnes Graecos convocat v. 292 ss.:

νῦν ἐστιν ἡμῖν, ὦ ν δ ρ ε ς Ἕ λ λ η ν ε ς, καλὸν

παῖδας πρωθήβας πολιοκροτάφους τε γέροντας
λέξασθαι περὶ ἄστυ θεοδμήτων ἐπὶ πύργων.

1) Aischylos p. 60.

2) Monendum est nonnullos hunc Ariphradem diversum esse statuere, mea quidem sententia non recte.

ἀπαλλαγεῖσι πραγμάτων τε καὶ μαχῶν
ἐξελκύσαι τὴν πᾶσιν Εἰρήνην φίλην.

Chorus quoque, quando orchestram intrat, clamat 301 ss.:

δεῦρο πᾶς χώρει προθύμως εὐθὺ τῆς σωτηρίας.
ὦ Πανέλληνες, βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε
τάξεων ἀπαλλαγέντες καὶ κακῶν φοινικικῶν.

Paullo antea autem Trygaeus has classes singillatim appellaverat v. 296 ss.:

ἀλλ', ὦ γεωργοὶ κἄμποροι καὶ τέκτονες
καὶ δημιουργοὶ καὶ μέτοικοι καὶ ξένοι
καὶ νησιῶται, δεῦρ' ἴτ', ὦ πάντες λεῴ,
ὡς τάχιστ' ἅμας λαβόντες καὶ μοχλοὺς καὶ σχοινία·
νῦν γὰρ ἡμῖν ἁρπάσαι πάρεστιν ἀγαθοῦ δαίμονος.

Primum igitur agricolas, mercatores, fabros, opifices nominat, qua in re poetae imprimis comico vitio vertendum non est, quod fabros ab opificibus seiungit. Hi autem omnes cives Athenienses esse possunt; civibus adiunguntur metoeci, his peregrini et insulani, quibus et socii et inimici comprehendi possunt; ex gentibus hostilibus postea appellantur Boeoti v. 466, Argivi v. 475, Lacedaemonii v. 478, Megarenses v. 481. Iam quaestio oritur, utrum chorus partim ex Atheniensibus partim ex peregrinis constiterit, sicut in Lysistrata ex senibus et vetulis, an peregrini personae aut mutae aut commenticiae fuerint. Hoc placuit Richtero,[1]) qui duas chori partes etiam habitu scaenico distinctas fuisse suspicatur. At repugnant ipsa poetae verba; nam v. 603 s. Mercurius chorum ita adloquitur:

ὦ σοφώτατοι γεωργοί, τἀμὰ δὴ ξυνίετε
ῥήματ', εἰ βούλεσθ' ἀκοῦσαι κτλ.

Ipsi quoque choreutae se agricolas esse profitentur, cum Pacem recuperatam his versibus salutent v. 582 ss.:

χαῖρε χαῖρ', ὡς ἀσμένοισιν ἦλθες, ὦ φιλτάτη.
σῷ γὰρ ἐδάμην πόθῳ,
δαιμόνια βουλόμενος

---

[1]) In editione sua adnotat. ad v. 301.

εἰς ἀγρὸν ἀνερπύσαι.
ἦσθα γὰρ μέγιστον ἡμῖν κέρδος, ὦ ποθουμένη,
πᾶσιν ὁπόσοι γεωρ-
γὸν βίον ἐτρίβομεν. μό-
νη γὰρ ἡμᾶς ὠφέλεις.
πολλὰ γὰρ ἐπάσχομεν
πρίν ποτ' ἐπὶ σοῦ γλυκέα
κἀδάπανα καὶ φίλα.
τοῖς ἀγροίκοισιν γὰρ ἦσθα χῖδρα καὶ σωτηρία.
ὥστε σὲ τά τ' ἀμπέλια
καὶ τὰ νέα συκίδια
τἄλλα θ' ὁπόσ' ἐστὶ φυτὰ
προσγελάσεται λαβόντ' ἄσμενα.

At nemo profecto contendere audeat post Pacem liberatam alterum hemichorium abire, ita ut per reliquam fabulam duodecim tantum choreutae iique agricolae restent. Recte igitur in argumenti calce adnotatur: ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἔκ τινων ἀνδρῶν Ἀττικῶν γεωργῶν. Itaque mordicus tenendum est ex nullis aliis personis chorum constare, quam ex rusticis Atheniensibus, ceteros vero, quos Trygaeus adpellavit Athenienses, mercatores dico, fabros, opifices ex choreutis non magis fuisse posse quam metoecos et peregrinos. Nihil relinquitur, quam hos omnes aut mutas personas fuisse aut commenticias. Atque post ea, quae supra cognovimus, exempla erunt fortasse, qui alterum maxime comoediae naturae convenire dicant. Attamen in Pace res longe aliter sese habet quam in ceteris comoediis. Ibi enim quotiens persona aliqua commenticia, ut ita dicamus, inducitur, minimis momentis ex cogitationibus spectatorum rursus tollitur et evanescit. In Pace vero per sexaginta fere versus et ceteros Athenienses et peregrinos non solum adesse fingitur, sed magnam operarum partem suscipiunt. Praeterea a Trygaeo et Mercurio alii aliis nominibus adpellantur v. 464 ss.:

ἀλλ' οὐχ ἕλκουσ' ἄνδρες ὁμοίως.
οὐ ξυλλήψεσθ'; οἷ' ὀγκύλλεσθ'·
οἰμώξεσθ' οἱ Βοιωτοί.

v. 475 ss.:

οὐδ' οἵδε γ' εἷλκον οὐδὲν Ἀργεῖοι πάλαι
ἀλλ' ἢ κατεγέλων τῶν ταλαιπωρουμένων,
καὶ ταῦτα διχόθεν μισθοφοροῦντες ἄλφιτα.

v. 478:

ἀλλ' οἱ Λάκωνες, ὦγάθ', ἕλκουσ' ἀνδρικῶς.

v. 481 ss:

οὐδ' οἱ Μεγαρῆς δρῶσ' οὐδέν· ἕλκουσιν δ' ὅμως
γλισχρότατα σαρκάζοντες ὥσπερ κυνίδια,
ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ νὴ Δί' ἐξολωλότες.

Tandem et Megarenses et Athenienses, qui quidem agricolae non sint, amoventur, choreutae autem, scilicet rustici, se solos rem aggressuros esse declarant, 500 ss.:

ΕΡΜ. ἄνδρες Μεγαρῆς οὐκ ἐς κόρακας ἐρρήσετε;
μισεῖ γὰρ ὑμᾶς ἡ θεὸς μεμνημένη·
πρῶτοι γὰρ αὐτὴν τοῖς σκορόδοις ἠλείψατε.
καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω
ἐντεῦθεν ἐχομένους ὅθεν νῦν ἕλκετε·
οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε.
ἀλλ' εἴπερ ἐπιθυμεῖτε τήνδ' ἐξελκύσαι,
πρὸς τὴν θάλατταν ὀλίγον ὑποχωρήσατε.
ΧΟ. ἄγ', ἄνδρες, αὐτοὶ δὴ μόνοι λαβώμεθ' οἱ γεωργοί.

Haec omnia certe maiora sunt, quam quae sola cogitatione a spectatoribus fingi possint. Immo, quid rei sit, facile apparet[1]. In orchestra magnus labor sustinendus erat lapidum multitudo auferenda. Pacis figura non exigui ponderis ex profundo extrahenda. Hoc onus a choro, cuius munus cantare et saltare est, nullo modo sufferri poterat. Itaque poetae operarum, id est personarum mutarum, multitudine usus est, quas vario habitu induxit. Hae sunt, quae Mercurii iussu primum lapides amovent v. 426 s.:

ἀλλὰ ταῖς ἄμαις
εἰσιόντες ὡς τάχιστα τοὺς λίθους ἀφέλκετε.

1) Vid. Robert Herm. XXXI 1896 p. 551 ss.; aliter sentit Fensterbusch l. l. p. 31 ss.

Ipse vero chorus simul pro mutis illis personis respondens se quoque laboris participem fore fingit v. 428 s.:

ταῦτα δράσομεν· σὺ δ' ἡμῖν, ὦ θεῶν σοφώτατε,
ἅττα χρὴ ποιεῖν ἐφεστὼς φράζε δημιουργικῶς.

Re vera autem, dum media orchestra labor fit, in anteriore eius parte libationi interest. Libatione peracta iam lapides amoti sunt, nunc autem in eo est, ut Pacis figura extrahenda sit. Et chorus tum quidem rudentes et ipse apprehendit v. 458:

ὑπότεινε δὴ πᾶς, καὶ κάταγε τοῖσιν κάλως

sed, ut opinor, extremas tantum eorum partes; labor re vera nunc quoque a personis mutis praestatur. Quae quando dimittuntur, figura maximam partem iam extracta est, ut ceterum opus a choro nullo negotio peragi possit, ita ut Trygaeo dicere liceat v. 511:

οἵ τοι γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι, κἄλλος οὐδείς.

Sed alia difficultas restat multo gravior, de qua nunc accuratius agendum est. Pace liberata Trygaeus agricolas Mercurii iussu cum instrumentis rusticis rus redire iubet, v. 550 ss.:

ΕΡΜ. ἴθι νυν, ἄνειπε τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι.
ΤΡ. ἀκούετε λεῴ· τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι
τὰ γεωργικὰ σκεύη λαβόντας εἰς ἀγρὸν
ὡς τάχιστ' ἄνευ δορατίου καὶ ξίφους κἀκοντίου·
ὡς ἅπαντ' ἤδη 'στὶ μεστὰ τἀνθάδ' εἰρήνης σαπρᾶς.
ἀλλὰ πᾶς χώρει πρὸς ἔργον εἰς ἀγρὸν παιωνίσας.

Ad quae respondet chorus v. 555 ss.:

ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα

et alia, quae supra exscripsimus. Quid quod paucis versibus intermissis Mercurius et Trygaeus etiam abeuntium turbam et instrumentorum rusticorum fulgorem mirantur v. 564 ss.:

ΕΡ. ὦ Πόσειδον, ὡς καλὸν τὸ στῖφος αὐτῶν φαίνεται
καὶ πυκνὸν καὶ γοργὸν ὥσπερ μᾶζα καὶ πανδαισία.
ΤΡ. νὴ Δί', ἡ γὰρ σφῦρα λαμπρὸν ἦν ἄρ' ἐξωπλισμένη,
αἵ τε θρίνακες διαστίλβουσι πρὸς τὸν ἥλιον.
ἦ καλῶς αὐτῶν ἀπαλλάξειεν ἂν μετόρχιον.

Qui adspectus etiam Trygaeo ruris desiderium facit, ita ut addat:

ὥστ' ἔγωγ' ἤδη 'πιθυμῶ καὐτὸς ἐλθεῖν εἰς ἀγρὸν
καὶ τριαινοῦν τῇ δικέλλῃ διὰ χρόνου τὸ γήδιον.

Quid igitur statuamus? Num re vera chorus ex orchestra exit? μετάστασιν habemus, quam ἐπάνοδος sequatur necesse est? At ut mittamus eas tunc tantum fieri solere, cum actionis locus mutatur, id quod in Pace multis versibus postea, scilicet post parabasin (v. 818 ss.), fit, Trygaeus statim post versus laudatos chorum adloquitur et Pacem deam salutare iubet v. 571 ss.:

ἀλλ' ἀναμνησθέντες, ὦνδρες,
τῆς διαίτης τῆς παλαιᾶς,
ἣν παρεῖχ' αὕτη ποθ' ἡμῖν,
τῶν τε παλασίων ἐκείνων,
τῶν τε σύκων τῶν τε μύρτων,
τῆς τρυγός τε τῆς γλυκείας,
τῆς ἰωνιᾶς τε τῆς πρὸς
τῷ φρέατι τῶν τ' ἐλαῶν
ὧν ποθοῦμεν,
ἀντὶ τούτων τήνδε νυνὶ
τὴν θεὸν προσείπατε.

Cui dicto audiens chorus eos, quos supra exscripsimus, versus cantat. Itaque quidquid Trygaeus et Mercurius antea dixerunt, chorus non abiit sed in orchestra remansit. Ad hanc controversiam solvendam versus antecedentes respiciendi sunt, sed antea monendum est iam prius spectatores eo, de quo supra disputavimus, modo actionis participes fieri; nam cum opus non procedat, Trygaeus Lamachum in cavea sedentem in crimen vocat, quod bellicosi istius adspectus impedimento sit v. 473 s. Postea vero Pace liberata Mercurius urbes antea inimicas nunc reconciliatas mente adspicit easque Trygaeo ostendit v. 538 ss.:

ἴθι νυν, ἄθρει
οἷον πρὸς ἀλλήλας λαλοῦσιν αἱ πόλεις
διαλλαγεῖσαι καὶ γελῶσιν ἄσμεναι,

καὶ ταῦτα δαιμονίως ὑπωπιασμέναι
ἁπαξάπασαι καὶ κυάθους προσκείμεναι.

Vix est quod moneam Mercurium non personas mutas, quae harum urbium vices agunt, sed ipsas urbes dicere, quas ut personas commenticias in conspectum venire fingitur. Trygaeus[1]) autem Mercurii animum a fictis his personis ad spectatores convertit, ut quid de pace composita sentiant cognoscat. Scilicet armorum fabri desperant, instrumentorum rusticorum exultant v. 543 ss.:

ΤΡ. καὶ τῶνδε τοίνυν τῶν θεωμένων σκόπει
τὰ πρόσωφ', ἵνα γνῷς τὰς τέχνας. ΕΡ. αἰβοῖ, τάλας.
ΤΡ. ἐκεινονὶ γοῦν τὸν λοφοποιὸν οὐχ ὁρᾷς
τίλλονθ' ἑαυτόν; ὁ δέ γε τὰς σμινύας ποιῶν
κατέπαρδεν ἄρτι τοῦ ξιφουργοῦ 'κεινουί.
ὁ δὲ δρεπανουργὸς οὐχ ὁρᾷς ὡς ἥδεται
καὶ τὸν δορυξὸν οἷον ἐσκιμάλισεν;

Continuo Mercurius Trygaeo praecipit, ut agricolas abire iubeat. Non dubium esse potest, quin agricolas, qui inter spectatores sedent, dicat, non chorum. Hos igitur, non chorum, Trygaeus adloquitur. At cum chorus ipse ex agricolis constet, simul pro illis et pro se ipso respondet. Agricolas igitur, qui abire iubentur, spectatores re vera inter se sedentes vident; sed eos instrumentis fulgentibus abire a Mercurio et Trygaeo iussi cogitatione percipiunt. Ipse chorus autem, quamquam et ipse abire cupit, a Trygaeo paullulum remanere iubetur, ut primum ad Pacem deam precetur v. 560 ss.:

νῦν μὲν οὖν, ὦνδρες, προσευξώμεσθα πρῶτον τῇ θεῷ,
ἥπερ ἡμῶν τοὺς λόφους ἀφεῖλε καὶ τὰς Γοργόνας·
εἶθ' ὅπως λιταργιοῦμεν οἴκαδ' εἰς τὰ χωρία,
ἐμπολήσαντές τι χρηστὸν εἰς ἀγρὸν ταρίχιον.

Tum vero prae precibus et prae actione procedente rus abeundi consilium in oblivionem it. Rursus igitur habemus exemplum consilii non peracti.

---

[1]) Rectius haec Trygaeo tribui puto quam Mercurio sermonem continuari.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Fridericus Westphal in urbe Pommerana Stolp a. d. IV. non. Okt. anni 1889. A parentibus Ottone et Theresia e gente Hoffmann fide evangelica eruditus sum. Gymnasium Kolbergiense et Stolpiense adii. In hoc testimonium maturitatis adeptus Monaci et Halis studiis philologicis operam dedi. Ipso initio belli voluntarius stipendia feci multisque pugnis interfui. Anno 1917 aegrotus reversus studia perrexi.

Praecipue me docuerunt: Monaci: Aster, Bitterauf, Burger, Kafka, Kutscher, de Leyen; Halis: Abert, Achelis, Goldschmidt, Jahn, Kern, Krüger, Loofs, Menzer, Robert, de Stern, Waetzold, Wissowa, Ziehen.

Per tria semestria sodalis ordinarius fui seminarii philologici Carolo Praechter et Georgio Wissowa moderantibus. Studiis historicis ut me dederem, de Stern me adduxit, cuius exercitationibus historicis interfui. Tum Paulo Menzer singulares gratias ago, qui philosophiam non solum rationis sed cordis esse me docuit. Maxima autem pietate gratitudineque Carolum Robert colam, qui, ut in archaeologicis studiis vitam consumerem, me incitavit.